J. DESCROIX

Grammaticam docens in Lugudunensi Hortorum Lyceo

DE VERSU LEONINO

THESIM
Facultati litterarum Universitatis Parisiensis
proponebat.

*

LUGUDUNI
Edidit Marius AUDIN, bibliopola,
Cui signum *Colles ad Geminos* legitur,
via dicta Davout, in tertia domo,
juxta Rhodanum.

—

MCMXXXI

Thèse Paris

DE VERSU LEONINO

Unde ortus sit versus leoninus qui dicitur.

J. DESCROIX

Grammaticam docens in Lugudunensi Hortorum Lyceo

DE VERSU LEONINO

THESIM

Facultati litterarum Universitatis Parisiensis
proponebat.

LUGUDUNI
Edidit Marius AUDIN, bibliopola,
Cui signum *Colles ad Geminos* legitur,
via dicta Davout, in tertia domo,
juxta Rhodanum.

MCMXXXI

PH. FABIA

OPTIMO VIRO

MAGISTRO PRAESTANTISSIMO

humile hoc grati animi pignus
dedicavi.

Karoli du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis* evolventi atque inspicienti mihi quondam occurrit verbum *Leoninus* de quo ille dicit :

« *Sic forte nuncupati* (de leoninis versibus disserit) *quod inventi fuerint a quodam Leone poeta qui circa tempora Ludovici VII vel Philippi Augusti, regum Franciae, vixit...* »

et alia admodum dubia ; quare ejusmodi versus originem explanare, si possem, in mentem venit. Leoninus autem dicitur cum ultima, qua versus clauditur, syllaba ei consonat quae ante caesuram versatur, hoc modo :

Est in fiscella Moyses puer ille, puella
Regia mente pia, quem fovet ecclesia [1],

vel rarius cum versuum fines consoni fiunt :

Armis, classe, cibo, dives mala castra petisti ;
Solus, inermis, inops, inglorius ecce redisti [2].

Quo vocabulo « léonin » nihil obscurius videtur etsi rem facile intelligimus. Nequicquam enim locos ille affert Aegidii Parisiensis, qui fuit *Karolini* scriptor saeculo XIII°, et cujusdam Stephani Paschasii ; qui istius Leonis mentionem faciunt eorumque testimoniis suam frustra sententiam Karolus du Cange confirmare temptat : Leo enim poeta,

1. Sugerii apud de Guilhermy (Inscript. dioc. Paris, II, 119).
2. Marbodi, de Ornamentis Verborum, XI, col. 1590 (Beaugendre, 1708).

quanquam magnifico et quasi regali nomine fruitus est, tamen ignotissimus jacet. Ceterum permulti fuerunt qui eo tempore ita nominarentur: nam quatuordecim numerare possumus nomine Leones e quinto Annalium Benedictinorum libro [1]. Quorum unus, monachus fortasse Montis Cassini, de se ipso, metro leonino, sub finem saeculi XI[i] ita loquitur:

Hujus scriptorem libri, pie Christe, Leonem
In libro vitae, dignanter supplico, scribe [2].

In hunc igitur et nonnullos alios multo justius, si fieri posset, reperiendi ejus versus honorem conferremus quam in eum de quo Aegidius Parisiensis:

Non minus in sacris melico sermone Leonem
Ludentem historiis, et quem intepuisse dolemus... [3]

At K. du Cange idem senserat atque Lancelot paulo ante in *Nova Methodo* [4], in qua magister ille doctissimus asseverat:

« illos versus originem duxisse a Leonio sancti [5] Victoris monacho qui medio circiter saeculo XII° eos in vulgus sparserit eundemque ad annum 1160 de vita decessisse ».

Et fuerunt, teste K. du Cange, qui eos Leonio, celebri ecclesiae Parisiensis canonico, potius tribuerent, ut Le Beuf loco citato [6] scribit; neque adhuc desunt qui, de leonino disserentes, aliorum nominum Gallicorum quae in

1. Dom J. Mabillon. Totidem aut plures inveniri possunt in Gallia Christiana vel in « Histoire littéraire de la France » (IX-XV).

2. Ann. Bened., V, 64, 2.

3. E. Karolino (Vide ad du Cange).

4. 1653, p. 875-876.

5. Ita opinatur Huet. Cf. Huetiana, p. 192.

6. Cf. K. du Cange.

exitu similia sunt et sacros religionis ordines significant ut *Jacobins, Augustins, Bénédictins* [1], analogia seducti atque in errorem rapti, id verbum a ficto quodam ordine *Léonins* oriundum esse arbitrentur. Nec magis mirum si quis nomen anceps per Leonem papam enodare conatus sit : papae autem Leones a saeculo VIII° ad XI^{m} octo sunt.

Quam ambiguam originem temporum pristinorum obscuritate involutam agnovit saeculo XVI° Claudius Fauchet qui persaepe, ut ipse fatetur, requisivit ita ut in eodem libro [2], neglecta scribendi arte, ter de ea re disputaret. Namque ibidem primum [3], a Leone II°, saeculo VII° vivente [4], inventum versum dicit quod ille christianae religionis sequentias et hymnos correxerit. Imo dicta refellit eorum qui leonini versus archetypum atque exemplar fuisse credunt hymnum sancti Johannis Baptistae, illum

Ut queant laxis
Resonare fibris...

a Paulo Diacono compositum : « *Paulum diaconum,* inquit, *id condidisse minime constat et ante hunc carmina scripta sunt ubi versus eundem in cadendo sonum referrent* ». Dein, non multo post [5], ad controversam rem revertitur et dubitat an non Leo papa, ut ante dixerat, versus eponymi auctor fuerit. Multis enim gallicis Medii Aevi poetis lectis, nonnullos locos affert ubi verba *léonin, leonineté* [6] quasi

1. Cf. Capucins, Célestins, Mathurins, Théatins, etc.

2. Recueil de la langue et poésie françoise, ryme et romans, plus les noms et sommaire des œuvres de CXXVII poètes françois... (Paris, 1581, apud Rob. Estienne).

3. Op. cit., p. 52 (cap. VI).

4. Obiit anno 684.

5. Op. cit., p. 72 (cap. VIII).

6. Vel *leonimeté.*

indigena usurpantur et vocabulis *consonant*, *consonancie* conjunguntur ac contraria opponuntur, sicut nostris temporibus *rime riche* et *assonance;* atque haec commemorat ex *Fabliau des III Dames:*

Ma peine mettrai et m'entente...
A conter un fabliau par rymes
Sans couleur et sans leonimes.
Mais s'il y a consonancie,
Il ne me chaut qui mal en die;
Car ne peut pas plaisir à tots
Consonancie *sans biaux mots...*

rursus haec e Walterii *Roman de Judas* (saeculi XIII[1]):

Je ne di pas qu'aucun biau dit
Ni mettre por faire la ryme
U consonant *ou* léonime...

haec etiam e *Roman d'Alexandre par Simon:*

Chanson voeil dire per ryme [1] *et per* Leoin
Del fil Philippe le roi de Macedoïn...

et praecipue adjiciamus hos versus e « Guillelmi Guiart Chronique » [2]:

Et cils qui ne sait en sa rime
Qu'est consonant *ou* leonime
Ne puet, comment qu'il s'en dément,
Avoir certain entendement...

et plura longe testimonia omittimus; e quibus omnibus

1. Ryme valet hic « *consonant* ».

2. Versus 5 sqq.; partim citati a du Cangio; quod opus scriptum est anno circiter 1304.

versum *leoninum* in Gallicis poematis esse patet cum syllaba una vel pluribus consonantia efficiatur, *consonancie* autem una tantum littera vocali; hanc minoris esse aestimatam. Quam doctrinam Claudius Fauchet e libro quodam se sumpsisse dicit qui *l'Art et science de Rhétorique pour faire rymes et balades* inscriptus annoque 1493 editus sit, et leoninitatem, ut necessitate impulsus novo utar vocabulo, *ryme riche* valere lingua gallica; eadem quoque agnovisse magistrum Petrum Fabri [1]. Qui illam esse longe pulcherrimam opinabatur, sicut Leo, nobilissima belua, rex et imperator quodam modo animalium exstitisset; unde Gallos eam appellare *rime léonine, rime emperière* [2], *chant royal*. Talia primum C. Fauchet de vi subjecta vocabulo *léonin;* deinde de origine et usu ejusmodi versus disserit. Sed cum plurimos latine scriptos Medii Aevi libros evolvisset, Bernardi Cluniacensis sermonem prodit in quo ille carmina leonina se ait condidisse meris dactylis (exceptis finalibus) composita et hexametros suos in tres partes distributos refert ad hunc modum:

Hora novissima|tempora pessima|sunt, vigilemus:
Ecce minaciter|imminet arbiter|ille supremus...

in quibus cum binae primae partes inter se leoninam *sonoritatem* praebent, tum pars tertia versus insequenti consonat: idemque exempla proponit Hildeberti [3] de Lavardino ac Wichardi Lugudunensis canonici, praestantissimorum versificatorum qui « *ob difficultatem perpauca in*

1. Grand et vray Art de pleine Rhétorique (1521).
2. Cf. Gratien du Pont, Art poétique (1539).
3. Injuria citat *Laudes S. Mariae Aegyptiacae;* melius proposuisset *Carmen in Mulieres*. Cf. Beaugendre, Hild. Miscel., col. 1353.

hoc metrum contulerunt ». Ille autem Hildebertus, episcopus Cenomanensis, inter omnes celeberrimus, Wichardus vero paene ignotus est. Alios quoque poetas Claudius Fauchet producit, Walterium Anglicum et Godefridum Viterbium, qui leoninis versibus scripserunt ; sed hi, si rationem temporum habere volumus, multo post Hildebertum claruerunt ; quo ceterum longe inferiores evaserunt. Ita, ut brevi dicam, diligentissimus ille Medii Aevi investigator poetam quem adhuc quaerimus, non repperit, etsi nova leoninitatis schemata monstravit.

Imo, libro jam confecto, ad propositum tertio rediit [1], lecta quadam Sanctae Christinae Vita, in qua hi versus insunt :

> Seigneurs qui en vos livres par metric metez [2]
> Equivocations et leonimetez
> Si je tel ne puis faire, ne déprisiez mon livre,
> Car qui à trouver n'a subtil cuer et delivre
> Et leonimeté veut partout aconsuivre...

e quibus et multis aliis Claudius Fauchet asseverare potuit et leoninos versus esse si continui decem [3], vel viginti vel etiam plures in finibus similiter caderent (non tantum si bini inter se extremi aut si singuli ad caesuram et clausulam, quod omnibus notum est).

Longe enim facilius erat ejus versus, de quo quaeritur, modos perquirere quam ejusdem origini clarissimum lumen

1. Op. cit., p. 210.

2. Hi versus non sunt ad annum 1300 scripti, ut vult Fauchet, sed multo post, saeculo xv° ; namque rhythmos praestant scriptorum eorum quos « *Grands Rhétoriqueurs* » vocamus.

3. Qui valent « *laisse* » lingua gallica.

praeferre. Attamen, saeculo XVIII°, Ludovicus Muratori [1] sententiam de ea re suam attulit cui, si credimus du Cange, repugnare est difficillimum. Qui verbum illud *léonin* non a quodam Leone aut Leonio originem traxisse, *neque ejusmodi versuum inventionem illi tribuendam esse* asseruit, *cum versus ejusdem consonantiae longe antiquiores haberemus; quos utrum perfecerit ille etiam incertum est; nisi quod poetae priores in una tantum syllaba consonante cum altera, hic vero in duabus concentum suorum metrorum collocaverit, atque idcirco illius poema concinnius ceteris omnibus visum fuerit.* Et certe nostri, ut censuit du Cange, pro « *eleganter versificare* » *leonimer* dixerunt; eadem is sensit qui scripsit *Histoire littéraire de la France* [2]*;* sed potius rem quam verbum explicare conatus est [3]. Unde igitur et quomodo illud sit factum, parum est perspicuum.

Idcirco, prout nobis vires suppetent, tenebras huic quaestioni obductas, si forte dispellere possimus, temptabimus. Inquiremus ergo, primo quemadmodum antiqui scriptores cum graeci, tum latini eum de quo agitur versum, quique postea *leoninus* dictus est affectaverint, deinde in quantum ejus usus Medio Aevo in carminibus variis, metris, rhythmis, epitaphiis increbuerit atque increverit, postremo, quod est longe asperrimum, unde verbum *leoninus* illud ortum sit, utrum ab auctore quodam, an a leone.

1. In Antiquit. Ital. Med. Aev. III, 687; qui locus a du Cangio citatur.

2. IX, p. 172, « *non a poeta Leonio oriundi sunt hi versus...* ».

3. E proposito praetermisimus « *le Dictionnaire de Godefroy* » quod is, nulla re nova allata, tantum argumenta et exempla du Cangii transcripsit.

I

PARS PRIMA

Ecquis illum versum invenerit, haud sane reperire valeamus, nisi forte hunc honorem Homero conferamus, quippe qui modulate cecinerit:

Βάλλ'· αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί[1].

vel, si mavis istud ex Odyssea:

Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας... [2]

Per totam autem Graecam aut Latinam poesin, versus leguntur in quibus caesura postremae syllabae consonat, quod praecipue in elegis evenit, quia suavius et concinnius nescio quid metro incutitur. Nec tamen, omissis aliis multis, tragico Euripidi eae defuerunt munditiae, sicut patet ex his exemplis:

ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφος... [3]
ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς σοφίσματα... [4]

Si vero ad Alexandrinos, ut dicimus, poetas transibimus, multo plura sese offerent, non temere neque casu, sed

1. A 52.

2. a 22 (ed. Pierron). Multas quoque παρηχήσεις V. Bérard nuper in Od. notavit rejiciendasque putavit nonnullas (Cf. Introd. II, 9, autres musiques).

3. Andromeda, 135-2 Nauck[2].

4. Antiope, ibid., 188-5.

consilio et ratione effecta, cum ii ornatissime et exquisitissime eloqui [1], nec non musica quaedam addere carminibus, teste Ph. E. Legrand [2], studerent. Quae nonnunquam apud Theocritum fieri ex his tribus continuis versibus constat:

Ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, πάλιν, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ἦνθέ γε μὰν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,
λάθρη μὲν γελάοισα βαρὺν δ'ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα... [3]

Illos, etsi in duobus [4] caesura penthemimeris non est sed post tertium trochaeum, finesque versuum idem sonant, tamen retulimus. Et apud Callimachum eadem plerumque in distichis, ibique saepius in pentametro, inveniuntur, praecipue dum epitheta ad caesuram, nomina ad clausulam collocata (raro autem vice versa) et similiter cadentia concentum reddunt jucundum atque suavem, sono eodem duplicato tanquam si

voce repercussa resonet reparabilis Echo.

Ea licet videre in sequentibus:

τεύχεα τῶν ἀδίκων ἦνθ' ἀπὸ γηγενέων...
πάντα χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων... [5]
πλήσσονται λινέαις ὄρτυγες ἐν νεφέλαις... [6]

In recentioribus vero poetis, utpote priorum discipulis atque imitatoribus, ista vel crebrius fiunt, quod e multis Moschi locis manifestum est velut:

1. Nil fere de his commemorant Rossbach et Westphal, p. 49: Hexameter der Alexandriner.

2. « *Assez souvent, des rimes, des assonances, entre vers successifs ou hémistiches du même vers, concourent à l'effet musical...* », Poésie Alexandrine, p. 136 (Ap. Payot, 1924).

3. Thyrsis, 94-96.

4. In v. 95 et 96.

5. Balneae Palladis, 8-12.

6. Aetiae, v. 37 (ed. Cahen).

Ἄρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε Μοῖσαι.
Αἶ, αἶ, μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται...[1]
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων...
Ὀψὲ δὲ δειμαλέην ἀνενείκατο παρθένος αὐδήν[2].

Sescenta porro exempla proferre possimus; sed leviter rem attingere debemus ac, ne longum sit, ad Latinos jam veniamus.

Talia ac nonnulla ejusmodi in pristinas[3] Romanorum litteras immoderate redundarunt. Haec tamen effrenata consuetudo versificandique ratio iis jam temporibus non erat omnibus probata. Quam Lucilius in operibus corripuit ac vehementer insectatus est, teste Aulo Gellio qui haec tradidit (XVIII, 8):

« Ὁμοιοτέλευτα *et* ἰσοκατάλεκτα *et* πάρισα *et* ὁμοιόπτωτα *ceteraque hujusmodi scitamenta quae isti* ἀπειρόκαλοι *qui se Isocraticos videri volunt, in conlocandis verbis immodice faciunt et rancide, quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime hercle significat in quinto saturarum* (satyrarum PR) *Lucilius...* ».

Tunc aliquot versus addit ex ea satura excerptos, tali modo incipientes:

Quo me habeam pacto, tametsi non quaeri' docebo...

Istos autem scriptores Lucilius non Gorgianos, sed praeter exspectationem nostram Isocrateos appellat ineptumque illum scribendi modum vocat τεχνίον *Eisocratium* (var. ἄτεχνον, v. 5), quanquam nulla dicendi praecepta

1. Epiced. Bionis, 97-98.
2. Europe, v. 5 et 20 (Cf. ibid. 2, 6, 13, etc.).
3. De istis exornationibus in Saturnio versu, cf. Ludov. Havet, Métrique § 460.

rhetor ille nobilis Isocrates scripta reliquit, ut vult Cicero qui in altero *de Inventione* libro ea fatetur:

...*cujus ipsius* (Isocratis), *quam constet esse artem* (scilicet dicendi) *non invenimus* (II).

Quidquid id est, omissis fere ceteris, si A. Gellii vocabulo uti licet, scitamentis, unum valde effloruit quod elegantissimum ac lepidissimum habitum est. Atque non ita multo post Lucilianas vituperationes, ea bina similiter desinentia in versibus verba apud eos invenientur qui Alexandrinorum sese aemulos professi sunt, quosque irridens Cicero « cantores Euphorionis » appellavit; in primis autem Catullum oportet citemus, qui primus

doctam Callimachi musam Coique poetae

imitatus sit; maxima igitur ei debetur mentio. Hujus in hexametris heroici carminis quod *Epithalamium Pelei et Thetidos* [1] inscribitur, non minus insunt e versibus CCCCVIII quam XXXXVI talia exempla, quae infra describentur. Nam ordine triplici, desinentia primo, dein exemplorum summa, tertio versuum numerus hic declaratur:

Desinentia			Exempla	Versus
I	...is	...is	XVII ex.	30, 42, 50, 62, 93, 111, 130, 132, 164, 203, 259, 268, 283, 316, 351, 359, 366.
II	...o	...o	IX	49, 104, 105, 184, 225, 257, 355, 358, 374.
III	...a	...a	IV	57, 153, 215, 308.
IV	...ae	...ae	IV	59, 129, 309, 402.
V	...i	...i	IV	142, 228, 243, 319.

1. Carm. LXIV.

Desinentia			Exempla	Versus
VI	,,,as	...as	III	2, 223, 353.
VII	...os	,,,os	III	20, 183, 263.
VIII	...am	...am	I	97.
IX	...um	...um	I	211.

Haec de carmine LXIV°; nonnunquam etiam istam sonorum similitudinem duo versus praebent continui, sive dispares [1], sive inter se similes, hoc modo:

Promittens tacito *suscepit vota* labello.
Nam velut in summo *quatientem bracchia* Tauro [2]...

sed hos flosculos in distichis quae ex hexametro et pentametro constant, saepius offendimus: in carmine enim Catulli quod est de *Coma Berenices* [3], septendecim de nonaginta quattuor versus *leonini* dici possunt. Liceat autem afferre primos:

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus... [4].

Alibi vero numerus nimis exquisita et concinna compositione effeminatus quodam modo enervatur, velut in his:

Dulcia nocturnae portans vestigia rixae
Quam de virgineis gesserat exuviis [5].

Postea Catulli vestigiis ingressi sunt qui elegias ediderunt vates sub tempus Augusti et ante omnes Tibullus,

1. Ibid., 49-50.
2. Ibid., 104-105.
3. Carm. LXVI.
4. Coma, 1-2, alter versus duplicem concentum habet similiter cadentium: *omnia... lumina* et *magni... mundi.*
5. Ibid., 13-14.

purus et elegans, cujus carmen (II, 1) leoninos viginti duos de XC versibus habet, triaque ex ordine exempla nonnunquam, ut:

...Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado [1].

Ejusdem aliud carmen (I, 3) undeviginti, de nonaginta quattuor, hujusmodi versus praestat, quod fere peraequum est pro portione aut, quam antea, non multo rarius. Dein Propertius, Romanus, ut ipse se fatetur, Callimachus et Ovidius, omnium facillimus, et ceteri elegiaci, nec non summi poetae Vergilius et Horatius Flaccus sunt memorandi, e quibus omnibus atque aliis quibusdam aequalibus, singulos in unum contraximus versus, concentum duarum finalium efficientes similium, ut sequitur:

Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas (Cat., 64, 2)
Tuto res teneras effert in luminis auras (Lucret., 1, 180)
Ah! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas (Gall. ex Bucol. 10-49)
Liber pampineas invidit collibus umbras (Buc., 7, 58)
Nempe inter varias nutritur silva columnas (Hor. Ep., 1, 10, 22).
Nondum caeruleas pinus contempserat undas (Tib., 1, 3, 37)
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas (Prop., 4, 11, 49)
Vidi ego jactatas mota face crescere flammas (Ov. Am., 1, 2, 11).

Ea consona verba, numeris gravibus ac severis parum apta, sed in distichis mollia blandaque ab omnibus plus

1. II, 1. 26-28. Cf. Propert, II, 1, 33-35, ubi eadem animadverti possunt.

minusve sunt usurpata. Quae poetae, in primis elegiaci, non casu aliquo, sed ornandi gratia, cum essent auribus jucundiora, consecuti sunt de industria, etsi id negant L. Havet et L. Duvau [1]; has enim minutas exornationes, nisi a poetis essent exquisitae, facillime ii vitavissent, ordine verborum invertendo velut in:

Mollia nudatae tollentem tegmina surae (Cat., LXIV, 129)

qui versiculus mutari poterat in:

Mollia tollentem nudatae tegmina surae.

Sed de poetis ejus aetatis sat est dictum: nunc de iis qui postea floruerunt dicendum, cum litterae jam Romanae ad occasum vergerent et quasi senescentes paulatim conciderent. Hic permulta praesto erunt hujus leporis exempla apud Annaeum Lucanum:

Oceani tumidas remo compescuit undas (I, 374)

et apud nonnullos qui sunt nobis praetermittendi et Aulum Persium qui condidit illud:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis (I, 99).

Quo loco ille versum Neronianum ob nimiam quoque fortasse facilitatem reprehendisse judicari potest; neque enim quidquam est negotii hexametrum componere, si semel adonea clausula [2] inventa aut compilata et alicunde subrepta est, velut *sidera caelo, pectora palmis, nomina ponto, fulgura montes.* Namque sufficiet verbum unum ac duo epitheta, versusque jam fingetur. Ergo, exempli gratia,

1. Métrique grecque et latine, p. 61. Cf. ibid., p. 65, 73 et 74.
2. Quae e dactylo et spondeo constat.

eligamus clausulam *fulgura montes* [1] e sapphico Flacci carmine excerptam, ne memoria hexametrorum furtim surrepat, statimque copia versuum ad nos confluet:

Lucidaque excelsos feriebant fulgura montes;

si autem praesens pro praeterito tempore adhibuerimus:

Excelsos feriunt crepitantia fulgura montes.

Sed de arte versificandi satis multa; ad ipsos jam poetas revertamur. Et, ut ceteros omittamus, apud Silium Italicum, Statium, Juvenalem, multoque posteriorem Claudianum, quanquam hic caesurae hephthemimeris amator fuit, in aliquot leoninos incidimus velut:

Quae tibi pro tanti pulso discrimine regni
Sufficient laudes, Stilico? [2].

Alia vero et similia exempla e tot poematis proferre molestum sit; nam longe plura sunt quam ut omnia dicere possimus. Nec mirum: hae enim binarum vocalium concursiones finalium a verborum exornationibus non abhorrent iis quas oratores Latini crebro affectaverunt, de quibus cum nonnulli alii, tum Cicero multa in eo libro disseruit qui *Rhetoricorum ad C. Herennium* inscribitur [3]: hae utique similes sunt eis quae ab illo *similiter cadens* aut *similiter desinens* [4] appellantur.

« *Similiter cadens*, inquit, *exornatio appellatur cum in eadem constructione verborum duo aut plura sunt verba quae similiter iisdem casibus efferuntur, hoc modo:* Hominem

1. 2, 10, 12.

2. Claud. Bell. adv. Get., 1, 13.

3. Utrum M. Ciceronis an potius Cornificii hoc opus fuerit, non nostrum est requirere.

4. Rhet. ad Her. IV, 20; haec nomina de graeca lingua translata sunt. Cf. Aristot. Rhet., 3, 9 et Quintil., 9, 3, 80, qui scripsit « *homoeoptoton* » et « *homoeoteleuton* ».

laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis... *Similiter desinens est cum, tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt, hoc pacto :* Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Vivis invidiose, delinquis studiose, loqueris odiose... *Et ea re, qui his bene utuntur, plerumque simul ea collocant in iisdem partibus orationis* » [1].

Cui exornationi confinis adnominatio est cum « *ad idem verbum nomen acceditur commutatione unius litterae aut litterarum ; aut ad res dissimiles similia verba accommodantur* [2] ». Ea multis et variis rationibus conficitur et multa habet schemata quae enumerare longum est ; hanc ab illis dividere licet : haec toto fere vocabulo vel pluribus syllabis, illae plerumque una syllaba aut vocali fiunt ; una potius initio, alterae tantum in exitu ; « similiter cadens » et « similiter desinens » a recentioribus poetis aut oratoribus, adnominatio creberrime a veteribus comicis admissa est, velut in his Plautinis :

Neque exitium exitio est (Capt., 453)
...Colaphe, Cordalio, Corax (Ibid., 590)

vel in senario :

Sator sartorque scelerum et messor maxume (Ibid., 594).

Varia autem et prope innumera ejus ornamenti sunt exempla, nisi nomine, at specie distincta, sive ejusdem fere verbi, sive ejusdem syllabae, sive unius tantum litterae adsiduitatem scriptor requisiverit. Neque oratores hanc adnominationem aspernati sunt, cum elocutio, nescio quo lepore et venustate talis exornationis ad delectan-

1. Cujus multae sunt varietates quas Galli distinguunt et separant, appellantes *paronomase, allitération, assyllabation.*
2. Quod genus adnominationis nuncupamus « jeu de mots ».

dum magis valeret, velut in eo quod e L. Crasso assumptum est :

« ...*haec tibi est excidenda* lingua, *qua vel evulsa, spiritu ipso* libidinem *tuam* libertas *mea refutabit* » [1].

Illa adsiduitate syllabae *li* contentio (vel, si mavis, ἀντίθεσις) et vehementior et ornatior evasit. Eandem Cicero ipse aliquoties sumpsit, praecipue cum *Verrem everriculum* cognominaret, quod pecuniam, signa, bona denique omnia ad se rapiendo *verreret* [2].

Haec tria, quod Ciceronis judicio [3] proxima sunt exornationum genera in unum contulimus, etsi tertia, adnominatio scilicet, Medio Aevo prope omissa est. Praecepta vero aut saltem exempla Ciceronis non temere proposuimus ; etenim iterum reperiuntur in operibus quae saeculo IV^{o} post J.-C. Grammatici latini de arte sua scripserunt : Charisius [4] primo, dein Diomedes [5] explicuit *similiter desinens* et *similiter cadens*, graece appellans *homœoteleuton* et *homœoptoton*, tali definitione :

« *Homœoteleuton est oratio similibus clausulis terminata, id est pari verborum exitu finita.*

Homœoptoton est cum eodem casu, non eisdem clausulis [6] *sensus elocutionis impletur* ».

Postremo de iis Donatus [7] :

1. Cic. de Or., III, 1.
2. Cic. In Qu. Caecil. divin., In Verrem passim.
3. Ad Heren., IV, 22.
4. Keil. Gram. lat., I, p. 282 ; Charis. 4. 4.
5. Ibid., p. 447, Diomedes 2.
6. Quae definitio parum conveniens aut subobscura videtur : nam bina nomina « *patulae ...fagi* » quae iisdem casibus assumuntur, non efficiunt tamen *similiter cadens*.
7. De arte grammatica (III, 5).

Homœoteleuton est, cum simili modo dictiones plurimae finiuntur ut:

Eos reduci quam relinqui malui.

Homœoptoton est, cum in similes casus exeunt verba diversa ut:

Moerentes, flentes, lacrimantes, commiserantes;
quem versum Ael. Donatus de exemplo Ciceronis emendato deflexit:

Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes [1]

ubi grammaticus noster hexametrum ad instar veterum poetarum, velut Ennii, tres ad clausulam spondeos habentem fortasse non agnoverat. Idem, clarissimus linguae latinae tanquam praeceptor factus, tradita disciplina, postea ad docendum magni fuit momenti: namque Medio Aevo in scholis maxime legebatur et discebatur: cujus imago picta in libris, aut ficta in anaglyptis ecclesiarum [2] per similitudinem vel ἀλληγορίαν Grammaticam exprimebat. Immo, omnis fere liber de hac arte *Donatus* eo tempore inscribebatur: et permulti erant, testibus nonnullis catalogis codicum in monasteriis vel apud privatos; sub finem jam ejus aetatis, saeculo XV° prope confecto, bibliopola quidam [3], cum essent ei XCVII genera librorum quattuor diversos « Donatos » [4], ut ipse appellabat, habebat; qui plures etiam erant operibus tunc dilectissimis, sicut erant *Ysopet, Legenda Aurea, Imitatio, Speculum,*

1. Ad Her., IV, 12.

2. Et multis locis et in ecclesia cathed. Lugud., sub portis, in octava ancone ab dextera, ubi Grammatica pueros docet (ineunte saeculo XIV°).

3. In Lugud. provincia.

4. L. Delisle, Littér. latine et Histoire du Moyen Age, p. 111 sqq.

Miracula Mundi, Roman de la Rose. Tanti majores nostri faciebant grammaticos !

Attamen novi exstiterant qui praecepta Ciceronis et Donati et aliorum colligerent et nova ad usum scholasticorum opera prescriberent. Quidam enim anonymus opusculum de figuris et schematibus (sexaginta autem sunt numero) composuit [1] miserrimis plerumque *tristichis :* quo metro usus erat quod sane in honorem Trinitatis et Messis scripsisset (miram pietatem !) ut ipse in procemio nuntiat :

Collibitum est nobis, in lexi schemata quae sint,
Trino ad te, Messi, perscribere singula versu,
Et prosam versu pariter † placare [2] virorum.

Infra de *homœoteleuto* sic loquitur :

Confine est, simili fini cum claudimu' quaedam :
« Quom minus indignatur, ibi magis insidiatur,
Ut metuas noxam, si non ostenderit iram ».

Postea de *homœoptoto :*

Aeque clinatum est quod casu promimus uno :

« Auxilium, non consilium, rata non cata verba,
Rem non spem, factum non dictum quaerit amicus ».

In quattuor his horridis versibus, quos exempla edidit, variis locis soni similes collocantur : quin etiam pervetusta vocabula et graeca latinis mixta foede usurpavit neque expers fuit solœcismorum. Longe autem meliora et magis idonea de iisdem Marbodus [3] Redonensis episcopus in

1. Anth. lat. a Riese II, 485, p. 16-26. Codex est paris. 7530, saeculi VIII ; scriptorem esse fere ejusdem aetatis constat, nostra quidem sententia, quod Erigenorum ritu qui ea tempestate floruerunt, latina graecis miscentur.

2. replicare : prop. Risch.

3. De quo Gallia Christiana XIV, 746-747, et dom J. Mabillon in Ann. Ben., VI, 74-57 ; hujus opera cum Hildeberti edidit Beaugendre (1708) et Migne, in Patrologie (t. 171).

carmine scripsit quod est *De ornamentis verborum* [1]. Id autem composuit exeunte jam prope saeculo XI°, ad annum 1090, ut equidem ego opinor, cum esset etiam tum scholae Andegavensis magister vel archidiaconus [2], antequam ad episcopatum accessit, quod ei anno 1096 contigit. Qui omnium consensu doctissimus poeta et magister praestantissimus ex aequalibus eminuit cum Hildeberto de Lavardino. Ejusdem opus citatum *de Ornamentis* (triginta autem tantum sunt) disciplo dedicatum est qui erat versificaturus, ut patet e primo prologi versu:

Versificaturo quaedam tibi tradere curo

et epilogo ubi confirmat omnes didascalicos versus discipulis esse memoria tenendos:

Haec tibi de multis, ne multa forent onerosa
Primum pauca dedi...
Cetera quae restant, me dispensante dabuntur
Sed prius haec studio debes versare frequenti.

Quid vero de duobus, de quibus quaerimus, exornationibus? Sic ait, ordine utriusque mutato:
Similiter cadens [3] *est cum eadem constructione duo vel plura verba similiter iisdem casibus construuntur, hoc modo:*

Fac tibi fortunam; festina frangere lunam;
Et contra fatum faciet te cura beatum.

Similiter desinens [4] *est cum, tametsi versus non insunt, verbi tamen similes sunt exitus:*

1. Beaugendre, col. 1587, sqq.; Migne, 171, col. 1687 sqq.
2. Magister summus vel moderator qui episcopalibus vel cathedraliciis scholis praeerat, nonnunquam provehebatur, atque primum archidiaconus, dein aliquot post annos saepe episcopus consacrabatur.
3. XII^m ordine.
4. XIII^m ordine.

Censu ditari, virtute petis vacuari.

Quod prioribus melius ac dilucidius est. Tertiam porro invenit et novam exornationem quam *commixtum* vocat, ita definitam: « *Commixtum est in quo duo superposita* [1] *conveniunt* », cum Cicero [2] tantum edocuisset utramque inter se vehementer convenire et ambas in iisdem partibus orationis esse collocandas. Cui commixto simile quoddam *polyptoton* anonymus ille de quo supra locuti sumus, inter *similiter cadens* et *adnominationem* jam interposuerat, scribens ejusdem farinae hunc versum:

Multiclinatum est contra variantibu' quod fit.

Hae exornationes, *similiter cadens* et *similiter desinens* cui usui fuerint graecis et latinis scriptoribus, et quantum Ciceronis, Donati aut magistrorum [3] Medii Aevi praeceptis commendatae sint, summatim et brevissime exposuimus. Nunc hujus aetatis poetae quantum easdem adhibuerint est dicendum.

1. Melius dixisset: *quae supra dicta sunt.*

2. Ad Her., IV, 20.

3. Non casu, neque injuria haec nomina conjunximus, quod fieri solebat Medio Aevo; namque in quodam codice Bibl. Lugud. (Ms. 128), Rhetor. ad Heren. subjicitur poemation Marbodi « Versificaturo », de quo diximus, quasi operi integro epitome addita.

II

PARS ALTERA

Jam nos non fugit cur Medio Aevo leonini vigere possent: magistri enim ac poesis doctores cum multas alias exornationes, quibus nomina *schemata, colores, ornamenta* vicissim indiderunt, tum similiter cadens ac similiter desinens docebant, idque summa exemplorum auctoritate et Ciceronianis Donatianisque praeceptis confirmabant. Hoc vero unum praeterierant, *eas esse perraro sumendas, propterea quod non reperiri possint sine elaboratione et consumptione operae* [1], *quod fides et gravitas et severitas minuantur his frequenter collocatis, quod puerili elocutione delectari videamur* [2], *has denique raro esse interserendas.* Illi contra his persaepe aut continenter usi sunt; quas exornationes si uno nomine appellare possumus, cum ambae sint concentus sonorum in verborum exitu concordium, eae tamen duobus rationibus usurpantur: una est naturalis et tanquam litteris latinis insita: quae raro fit et maxime probatur rhetoribus; altera autem artificiosa nimiaque adsiduitate usurpata: quae est reprehendenda quia praeter modum elaborata est et continuatione serieque lectores defatigat. Hoc in vitium, finitimum ac propinquum, scriptores Medii Aevi inciderunt.

1. Ad Her., 4. 22.
2. Ibid., 4. 33.

Quod si quaeremus quid tanta gratia apud viros doctos floruerint leonini versus, ea tempestate, saeculo praesertim XII°, sane reperiemus quod populari

Aura gaudebant nimium vulgique favore,
Jam jam venturi flebile ad excidium:
Quippe sub incerto pereunt sic omnia caelo,
Quodque diu steterat, mobile mox cecidit.

At illo de quo agitur tempore concinni videbantur et omnibus erant jucundiores; dein in eis novitas gratissima valde placebat. Tertia denique de causa, frequenter aut continenter adhibiti sunt quod inter omnes constat qui μνημονικά vel minime didicerunt, eos versus memoria facillime teneri; discipuli autem ejus aetatis ob codicum caritatem inopiamque permulta meminisse debebant quae memoriter ante magistros pronuntiarent. Idcirco didascalici tunc libri iis metris leoninis, quippe quae memoriae aptiora essent, plerumque scribebantur, quo melius a scholasticis edisceretur id quod illi aut dixissent aut recitassent. Ceterum codices manuscripti, cum jam materia plurimo constaret, maximo emebantur pretio, neque crebri esse poterant. Sic olim fere apud Druidas quorum disciplina litteris non esset mandata, juvenes Galliae magnum versuum numerum ediscere debere Caesar nobis tradidit [1]. Neque in versibus tantum, sed in prosa, quam dicunt, ambae exornationes eae supra dictae inveniuntur, velut apparet e *Libro Sententiarum* [2], quem, ut quidem accepimus [3],

1. De Bell. Gall., 6, 14.

2. S[i] Bernardi opera D. J. Mabillon edid. [4] (1839) ubi *Liber Sent.*, II, 2. 1555.

3. Non est nostrum hanc controversiam dijudicare utrum id opus Bernardo an alteri sit tribuendum; certe saeculo XII° scriptum est. Ceterum alia ejusmodi scripserunt Anselmus Laudun., Petrus Abaelardus, Robertus Melodun., Magister sentent. (Petrus Langobardus). Cf. Gilson, Philosophie du Moyen Age, p. 55 et passim.

scripsit S[us] Bernardus, inclytus Clarevallensis abbas. Qui, tametsi ornamenta omnis generis perhorrescebat et undique depellebat, ne poesi quidem excepta [1], in sententias tamen admisit, quo facilius eas lectores recordarentur. Ex his nobis liceat aliquot exempla prodere:

Quatuor sunt quae veram conferunt humilitatem: vilitas operis, *assiduitas* subjectionis, *comparatio* melioris, *judicium* conditionis (Trib. Sent. 1. 88).

Tria sunt judicia: alienum, proprium, divinum (Ibid., 89).

Quattuor sunt tempora: praefigurationis, praenuntiationis, visitationis, redemptionis (Ibid., 92).

Triformis est ascensus Domini: victoriosus..., speciosus..., gloriosus... (Ibid., 86).

...Alii narrantur..., alii furantur..., alii compelluntur... (Ibid., 87).

A Domina nostra rei *habent* veniam, justi gratiam, angeli laetitiam (Ibid., 177).

Tres *ex omni populo* liberantur (Ibid., 174).

Tres *in sacerdotium* assumuntur (Ibid., 175).

Haec omnia, ut Tulliana utar locutione, inhaerescebant penitus in mentibus, quia vicissim verba, articuli, membra, sententiae ipsae eumdem in exitu referebant sonum. Nec defuerunt ea in Bestiario Sanvictorino, quod condidit Hugo [2]: quo in libro, postquam singulis quaestionibus abunde et copiose satisfactum erat, rursus omnibus in litterarum ordinem dispositis, singula paucis verbis descri-

1. Nihil fere metro scripsisse S[m] Bernardum, palam est; imo dubium est an illum hymnum « Ave Maris Stella » composuerit; quae fama fortasse percrebuit ob *Miraculum Lactationis*.

2. Migne, Patrologia, 175, 176, 177.

bebantur, saepe cum concentibus duarum aut plurium syllabarum, quo melius discipulorum memoriae convenirent faciliusque ab ipsis ediscerentur. Haec declarant qui sequuntur loci :

Campana somnolentos excitat, *horas* designat, in imo lata, in summo stricta, *si argentum admisceatur, dulcius* sonat.

Vallis dumosa, quieta, secreta, humida, umbrosa.

Venenum inficit, corrumpit et perimit.

Calamus est concavus, fragilis, levis, *scribendi officio* aptus.

Ergo mirari non debemus quid eodem tempore leonini oratione stricta maxime usurparentur, praesertim cum in soluta ipsa oratione scriptores ea ornamenta libenter adhiberent. Quae non dubium erit quin ita sint, si testimonium quoddam e *Libro Praefigurationis* [1] attulerimus : in quo poeta, cum leoninis esset scripturus, de utilitate horum versuum, etsi parum polite, at dilucide ita loquitur :

Est et adhuc aliud cur haec [2] *metra sim modulatus ;*
Grata scholasticolis plus esse liquet metra prosis,
Haerent et memori menti citius metra prosis.

Denique, ut omnia brevibus repetam, tres sunt causae cur hi metri tanto usui fuerint : novitas iis temporibus acceptissima, venustas quae superata difficultate augebatur, utilitas discipulis accommodata.

Nunc vero ornamentorum metricorum novitates in La-

1. *Liber Praefigurationis Christi et Ecclesiae*, Hildeberto tributus a quibusdam Cf. Pitra, Spicil. Solesm., III, XXXIV.

2. Leonina scilicet, sicut ex his hexametris liquet.

tinam poesim jam in pejus ruentem, dein in latinitatem Karolinam et posteriorem paulatim irrepere videbimus, conservatis et notatis, quoad facultas feret, temporibus; nec tamen, leonina exornatione explicata, ceteris parcetur.

Haud facile possit quis jocos omnes eos pueriles commemorare quos poetae minores versibus inseruerunt suis: sunt vero aenigmata Symposii [1], acrostichides Sedulii [2] vel aliorum, in quibus primae aut ultimae versuum litterae sensum reddunt; monosticha, tristicha, tetrasticha, hexasticha, ut Sulpicii [3], nec omittendi sunt versus qui echoici dicuntur, vel postea, aetate Karolina, paracterici; quorum unum Ovidius semel usurpaverat in Amoribus [4]:

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Continenter autem eos reperimus in poematis Pentadii *de Fortuna* et *de Adventu veris* [5]; eorum contraria sunt anacycla disticha in quibus hemistichium hexametri prius e superiore pentametro surripitur. Sunt etiam rhopalici [6] quinis verbis constantes unius, duarum, trium, quattuor, quinque syllabarum, ita forte nominati quia, crassitudine eorum deinceps augenda, ipsi versus in speciem clavae vel ῥοπάλου erant conficti, velut:

Rem tibi confeci, doctissime, dulcisonoram.

(Gram. lat. IV, Servii de Centum Metris, p. 467); eundem metrici Graeci κλιμακωτόν appellare solebant (Consb. 351,

1. Anthol. lat., Riese, I, 286.
2. Ibid., I, 492.
3. Ibid., I, 653. *De libris Aeneidis.*
4. Am. I, 9, 1 et alias. Cf. Fast., II, 235-236. Una dies... una dies.
5. Cf. Plessis. Poésie latine p. 663 ubi exempla ejusdem.
6. Ibid., 679.

31 ; Γ 182) ; neque oblivione sunt obruendi echoici versus in quibus novissima non amplius una syllaba resonat iterumque redditur, ut ex hoc apparet :

Exercet mentes fraternas grata malis lis

(loc. cit.) ; neque ei nondum nuncupati, qui initio vel potius fine monosyllaba tantum praebent, ad instar Maronianorum quorumdam velut... *exiguus mus, ...cum rapidus Sol, ...praeruptus aquae mons, ...ruit Oceano nox* [1] : utrique autem apud Ausonium inveniuntur. Subjicienda quoque illa verba iterata quae in capitibus versuum sunt posita, a Claudiano jam usitata : tanquam : *Me... Me..., Hoc... Hoc..., Eripe... Eripe..., Scilicet... Scilicet* [2].... Postremo sufficiat versus commemorare binis caesuris (quae sunt trihemimeris et hephthemimeris) tripertitos, eorundemque membra consona facta, hoc pacto :

Salve amnis, *laudate* agris, *laudate* colonis [3].

Multo autem plures sunt apud Porphyrium :

Et vitreas *ligat herba* comas, *nec fallit* aristas [4].

Nec non leoninos, ut verbum ante occupem, versus crebro offendemus, maxime in sententiis duplicibus, ubi vehementius contraria opponuntur, velut hos ex Avito :

Sic coit ut perimat, *sic parit ut* pereat [5].
Quam pepigit thalamis, *hanc habet in* tumulis [6]

1. Vergil. Georg., I, 181 ; II, 321. Aen., I, 105 ; II, 250.
2. Claud. Epist. ad Hadrian., 5-6, 41-42, 50-51, 52-53.
3. Auson. (Mosel. 1).
4. Anth. lat. Riese, I, 83, 66 et passim.
5. Ibid., carm. 35, p. 85, *De vipera.* Quo in versu non deest adnominatio : *per*imat, *par*it, *per*eat.
6. Ibid., Carm., 177-4, *De Pyrrho.*

vel ex aenigmatis Symposii centum; sic enim de Testudine [1] ille:

Tarda gradu lento, *specioso praedita* dorso,
Docta quidem studio, *sed saevo praedita* fato,

vel haec de Tauro [2]:

Et vehor in caelis *et in ipsis ambulo* terris,

haec etiam de Clepsydra [3]:

Lex bona dicendi, *lex sum quoque dura* tacendi,

aut de Tessera [4]:

Non ego maesta malis, *non rebus laeta* secundis.

Quibus binis consociatis sonis, verborum contentio vehementior fit; saepe autem concentus non est, ut antea, duplex sed multiplex velut in his quae sunt de Ancora [5]:

Scrutor aquas medias, ipsas *quoque mordeo* terras,

et de Succino [6]:

Laetus honor frondis, tristis *sed imago* mortis,

quo in versu inest vitium prosodiae, cum melius atque emendatius in fine dictum esset: « mortis imago ». Sed enim Symposii tempore, saeculo scilicet quarto, jamdudum lingua latina naturam mutaverat: pronuntiantibus enim verborum prosodia paulatim evanuerat eaque acutum accentum in syllaba quadam non amplius jam habebant, sed tantum intentionem vocis quamdam de qua disserere [7]

1. Ibid., Carm. 286-20. His in versibus eodem pacto cadunt gemina verba *tarda* et *praedita*; dein *docta, praedita.*
2. Ibid., 32.
3. Ibid., 70.
4. Ibid., 90. Cf. 78 strigillis aenea, etc.
5. Ibid., 61.
6. Ibid., 48.
7. De his tamen Havet-Duvau, 489-490 et sqq., Manitius, Gesch. der lat. christl. Poesie, 18.

fugiunt plerique scriptores Metrici, quod nihil est obscurius. Et jam saeculo tertio, christianus poeta cui nomen Commodianus *Instructiones adversus Gentes* pangebat [1] carminibus octoginta in quibus cum religioni novae tum novae studebat metricae arti, neglecta prosodia, solum accentuum ratione habita [2]; ii vero versus sunt ejusmodi:

Quot strepitus caeli ingruente fulmine dicam,
Cum ira tot annis collecta funditur omnis?
Hinc ignis, hinc tonitrus, hinc turbinis tot mala fervent
Rapieturque polus subitae mortis in umbra [3].

Talia primum inculta et aspera visa sunt; iis postea, saeculo v°, nomen *rhythmi* inditum est; plures tunc iis versibus utebantur, sicut Verecundus episcopus qui in *Exhortatione poenitendi* haec scribebat:

Cur fluctuas, anima, moerorum quassáta procéllis?...
Non casus honoris sed ruinas ánimae plóra [4].

In iis quas notavimus syllabis, non acutior jam, sed plenior vox fiebat. Quae mutatio maximi fuit momenti: namque non longis aut brevibus syllabis recte collocatis, cum neutrae essent, versus constiterunt, sed certo syllabarum numero, quia omnes indifferentes jam erant, servato tamen plerumque accentu. Posthac rhythmi et, quae contraria sunt, metra simul usurpabantur; floruit utrumque genus: hoc doctis poetis, illud rudibus et imperitis gratius.

Nunc autem saeculis indoctis, immanibus ac fere bar-

1. Ad annum 249 p. J.-C.
2. Cf. Havet-Duvau [4], § 489 sqq., ubi nonnulla exempla.
3. Carmen Apologeticum, XXXXVII, 1016-1019 (Ed. Ern. Ludwig).
4. Exhort. poenit. 1 et 6. In rhythmico hexametro, saepe vitia exstiterunt in collocando accentu.

baris praetermissis, ad aevum Karolinum jam accedimus, quo litterarum et omnium artium facta est in Gallia restitutio quam nostrates *Renaissance Carolingienne* vocarunt: ea autem Karolo Magno, postea Ludovico Pio et maxime Karolo Calvo imperante, etsi is superioribus non praestitit militari virtute, enituit. Tum quidem clarissimi poetae defuerunt: orbae tamen latinitatis nonnulli docti quasi tutores exstiterunt et digni admodum essent etiam nunc qui noscerentur:

> Temporibus sed enim nostris parum ista leguntur
> Carmina, sollicitis haud placitura viris.

Quae, etsi multa in eis insunt jocosa aut puerilia, tamen neque canoris versibus, neque brevibus aut acutis sententiis, neque rebus ornatis et jucundis carent. Hi vero poetae saeculo IX° satis multi floruerunt. Postea latinae litterae per duo fere saecula paulum conciderunt, multis de causis, praesertim cum Barbari et in primis Normanni undique Galliam premerent et in eam depopulandi gratia irrumperent. Mox eaedem se aliquando extulerunt circiter alteram partem saeculi XI[i] et in nostra revixerunt patria simul atque linguae Gallicae prima monumenta refulgere jam inceperunt.

Quod trium saeculorum spatium, a saeculo IX° ineunte ad finem XI[i], quamvis pauci adhuc hujus aetatis poetarum in studium incubuerint, dicendo persequi temptabimus atque interea leoninum versum gradibus agere radices ac paulatim crescere, pro nostris in ea re nova viribus, exponemus: jam vero,

> Nostra per incertum puppis vaga navigat aequor:
> At mihi, qui haec volvis, Lector amice, fave.

Quorum poetarum opera in tres dividemus partes, quae genera singillatim dehinc pertractabimus, metra, epitaphia, rhythmos. Nunc ad rem veniamus propositam.

Illos primum inducere debemus quos Karolus Magnus e Britannia Hiberniaque ad aulam arcessitos palatinis aut cathedralibus scholis constituendis moderandisque magistros praefecit, qui Gallos indoctos erudirent: quos inter nonnulli refulserunt poetae: hi numero meritisque externos mox antecesserunt et per omne saeculum IX^{m} ceteris gentibus praestiterunt. Eos autem cum attingemus, nonnunquam erit nobis vehementer diffidendum: etenim scribae mirabili interpretandi aut addendi vanitate saepe certissima scriptorum opera dubiis ac spuriis interpolarunt; quin etiam sua aliquoties propria falsis nominibus addicebant, neque possunt semper sincera a mixtis facile dijudicari. Rebus tamen consultis et accurate exploratis, vanas nos opiniones speramus vitaturos. Quo tempore poetae eos qui ante fuerant, subsecuti plerumque imitati sunt, imo nonnullis partibus eosdem vicerunt. Etenim hi incredibile est quantum, renovato latinae linguae studio, omnis generis verborum ornamenta vel ludicra affectaverint, quasi superatis difficultatibus versuum concinnitas venustasque exaugeretur.

Aenigmata vero versificata rursus inveniemus, adjunctis aliquoties, quo apertius ea detegerentur, acrostichis, velut apud Bonifatium [1], aut sine acrostichis, ut solet apud Alcuinum [2], Sedulium Scott [3], multosque alios; dein mera acrosticha commemoremus quae adhibuit Hrabanus Mau-

1. Duemmler, Poetae Aevi Karolini, I, p. 17 sqq.
2. Ibid., p. 160 sqq.
3. Duemmler-Traube, III, 151 sqq., op. cit.

rus [1], Paschasius Radbertus [2], Milo [3], Eugenius Vulgarius [4], ut ceteros oratio mea transiliat. Quae acrosticha, sicut alphabetica omnis generis carmina, jamdudum usurpata esse Manitius [5] nuper demonstravit. Quid autem de ludicris Johannis Scott [6] latina jungentis cum graecis, sane quia Erigeni litteris graecis erant eruditissimi, quid de Wahlafrido Strabo [7] acrosticha et initio et ad exitum versuum conduplicante, quid de Sedulio Scott qui aulicus imperatoris Karoli Calvi fuit assentator? Is admodum miranda sollertia quaedam scripsit quae sinistrorsum vel dextrorsum legi possent, ad hunc modum:

Mitis et Arcas ero, rore sacrate sitim;
Arte mera modero, more domare metra [8].

Jam vero locus est proferre varias in versificando figuras quibus ejus aetatis poetae ludentes praestiterunt: etenim quemadmodum Alexandrini [9], quos vocamus, poetae quondam figurata carmina condiderant in speciem Securis, Alarum, Ovi (apud Simmiam Rhodium), vel Syringis (ap. Theocritum), vel Arae (quod est opus Dosiadae), non aliter poetae aevi Karolini Bonifatius, Alcuinus, Joseph Scott [10],

1. Duemmler, II, p. 154 sqq.
2. Ibid., p. 51 sqq.
3. Ibid., III, p. 615 sqq.
4. Ibid., IV, p. 421 sqq.
5. *Geschichte des Christlich-Lateinischen Poesie.*
Akrosticha: 21, 31, 317, 342, etc.
Abecedarien: 21, 31, 238, 311, etc.
6. Duemml., III.
7. Ibid., II, p. 481, carm. 88.
8. Sedul. Scott, carm. 80 (Duemml., III).
9. Cf. Legrand, *Bucoliques grecs*, II, 219 sqq., aut ejusdem, *Littérature alexandrine*, p. 141.
10. Duemml., I, p. 149, 153 sqq.; is fuerat Alcuini discipulus; de ceteris, cf. supra.

summa calliditate multiformes Cruces versibus descripserunt, inclusas in variis formis geometricis, velut rhombis, quadratis, parallelogrammis, orthogoniisque; et Vulgarius Organum vel Psalterium carmine effinxit.

Haec de figuratis poematis; monosticha [1] quoque, tristicha, tetrasticha et hujus modi cetera, cum apud eos qui jam supra sunt citati, tum apud Florum [2], Lugudunensem episcopum, praestantem poetam, crebro reperiuntur. Ita fere lusit Hucbaldus qui eglogam de Calvis scribens vocabulis tantum a littera *c* incipientibus usus est, hoc modo:

Carmina, clarisonae, calvis cantate, Camoenae [3].

Nunc autem ad paractericos transeamus: ii tum crebro sunt usitati propterea quod repetitum membrum et memoriae magis conveniebat et auribus lenius blandiebatur. Quae metra Bonifatius in eo disticho usurpavit quod, ante fores basilicae inscriptum, tale est:

Haec domus est Domini et sacri janua regni:
Huic [4] *properate viri; haec domus est Domini* [5].

et Sedulius Scott in carmine ad Lotharium imperatorem:

Fulgide Caesar, ave, nunc mundi doxa, Lothari,
Flos magni Karoli, fulgide Caesar ave...
Lilia pacis amat bellorum mixta rosetis
Candidus hic rector lilia pacis amat [6].

nec non Hucbaldus in sequentibus his:

1. Vel telesticha.
2. Duemmler, II, p. 507 sqq.
3. Ibid., IV, p. 267.
4. *Huic: huc* est corrigendum.
5. Duemmler, I, p. 66: in primo versu verbi *Domini* postrema vocalis cum insequenti non conjungitur, tanquam si aliena sint hemistichia.
6. Ibid., III, carm. 59.

Stephane[1] *Sancte papa, mea carmina suscipe laetus*[2]*;*
Annue jam votis, Stephane Sancte papa.

Petrus Damiani[3] quoque saeculo XI° paractericos nonnunquam scripsit, velut in eo quod *de Gestis Apostolorum*[4] inscribitur carmine et in eo quod est *de Virgine*[5] et in illo *de S^a Cruce*[6], quod incipit ita:

Unică[7] *spes hominum, crux o venerabile signum,*
Omnibus esto salus, unica spes hominum.

Quod distichon in duodeviginti versus quater inducitur, ita ut non solum versus paracterici videantur effici, sed etiam totum carmen. Ejusmodi poemata per omnem Mediam Latinitatem composita sunt; nam saeculo XV° tales etiam tum leguntur versus optimi, quanquam parum emendati, in illa cantilena quam Galli *Danse Macabre*[8] vocavere, ubi membrum *Vado mori* assidue repetitum[9] miserabiliter mortalium aures occupat, mortis terrorem injiciens mentibus:

Vado mori; *mors certa quidem; nil certius illa,*
Hora fit incerta, vel mora; vado mori...
Vado mori; *quid amem quod finem spondet amarum,*
Cujus inanis amor? non amo, vado mori...

1. De Stephano V agitur qui obiit anno 891.
2. Duemmler, IV, p. 404. *De Inventione S^t Chrysanthi.*
3. Migne, Patrologia, 144-145.
4. Ibid., 145, carm., 94 (col. 946).
5. Ibid., carm., 65 (col. 940).
6. Ibid., carm. 37 (col. 931).
7. Cujus vocabuli syllaba finalis positione non producitur.
8. Ed. Guy Marchant, 1486.
9. Haec duo verba, quae omnibus cognita sunt, deprompta mihi videntur ex epitaphio Gualonis quod condidit Hildebertus (Migne, 171, ep. 44) ubi leguntur haec:

Romam vado vale...
Sed melius potuit dicere: vado mori.

Rationes quasdam poesis, ut quidem credebatur, excolendae et honestandae e variis auctoribus summatim collegimus ; nunc ad praecipuam eam de qua quaeritur, transeamus. Namque ab aevo circiter Karolino poetae magis ac magis versus exornare solebant verbis similiter cadentibus aut desinentibus. At fortasse dixerit quis istam exornationem a vatibus usurpatam esse jam superioribus saeculis, de quibus fere non disputavimus : quae nos tempora de industria omisimus, quod illam nonnisi passim et saepe casu adhibuerunt ita ut longe plures leonini apud Catullum vel Tibullum inveniantur quam apud Fortunatum, Bedam reliquosque omnes eorum aequales, si quidem e multis paucos exceperimus, velut Paulinum Petrocorium [1], Sedulium presbyterum [2], Eugenium Toletanum [3]. In carminibus enim priorum, saepe quinta aut fere quarta pars inest, ut supra vidimus, leoninorum ; in posterioribus circiter decima tantum aut non multo plus, teste Manitio [4], cujus e studiis nonnullos locos qui ad rem nostram valde pertinent, expromere possumus ; suffecerint aliquot de optimis poetis :

P. 123 (de Damaso)... *Von diesen* 280 *hexametern sind* 21 *leoninisch...*

P. 255 (de Alcimo Avito)... *Sind* 380 *mit leoninischen (von den* 3218 *Hexametern)*.

P. 297 (de Paulino Nolano) ...*Wir besitzen von Paulin im ganzen* 6739 *Hexameter und* 609 *Pentameter... Leoninischer Reim findet sich in* 788 *Versen.*

1. Cf. Manitius, op. cit., p. 231.
2. Ibid., p. 311.
3. Ibid., p. 432. Adjiciendi sunt etiam pentametri Venantii Fort. (p. 470).
4. Op. cit.

P. 376 (de Aratore) ...*in diesen* (2404 *Hexameter) findet sich leoninischer Reim bei* 142.

P. 470 (de Venantio Fortunato) ...*von den* 6292 *Hexameter sind* 1157 *leoninisch...*

P. 499 (de Beda Venerabili) *Wir besitzen von Beda* 1178 *Hexameter. Von diesen sind* 173 *leoninisch...* [1].

Huic novissimae rationi major tribuenda est auctoritas quam reliquis cunctis quas Manitius subduxit; namque initio saeculi VIII[1] Beda Venerabilis Anglus [2] cum multa didascalica, tum maxime opus *de Arte Metrica* [3] scripsit ubi nova commendat de illa, de qua agitur, exornatione; in hoc autem loco qui nobis est valde considerandus quia ejusdem opera vulgo discebantur per totum Medium Aevum, sic loquitur [4]:

« *Optima versus dactylici ac pulcherrima positio* [5] *est cum primis penultima*, ac mediis respondent extrema, *qua Sedulius frequenter uti consuevit ut:*

Pervia divisi patuerunt caerula ponti
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas

et alia e quibus nescio quid redolet Catullianum; deinde aliqua subjicit praecipiens ne praeter modum iis versibus utamur:

« *Non tamen*, inquit [6], *hoc continuatim agendum, verum post aliquot interpositos versus; si enim uno modo pedes*

1. Quibus testimoniis addenda sunt ejusdem alia, p. 127, 130, 133, 155, 171, 187, 192, 200, 300, 302, 359, 407, 485, 495. Op. cit., de variis poetis.
2. Migne, Patrol., 90-95, et Keil. Gram. lat., VII.
3. Migne, 94, 149 sqq.
4. Ibid., p. 163.
5. *Positio: compositio* conj. Keil.
6. Ibid., 164.

semper ordinabis, et versus tametsi optimus sit, status [1] *statim vilescit...* ».

Unde factum est ut eo tempore hujusmodi versus continenter non describerent. Verum tamen saeculo insequenti, non jam passim, sed saepius aut totis etiam in carminibus usurpari ab aliquot poetis coepti sunt. Optimi tamen poetae, ut antea Sedulius presbyter, quartam circiter partem aut minus habent leoninorum qui, semel vel rarius bis, plerumque una littera vel duobus, nonnunquam pluribus consonant. Ita fit in operibus Hrabani Mauri [2] qui in proprio epicedio quod viginti versibus constat, sexiens eo sonorum concentu usus est ; id autem ita incipit :

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam,
Tempore mortali discere sic poteris...

Crebrius etiam eadem apud Florum [3] Lugudunensem qui, in quibusdam carminibus tertiam prope partem hujusmodi versuum habet velut in illo quod *Carmen* [4] *in solemnitate Sancti Arch*[1] *Michaël* inscribitur atque incipit ab his :

Clarent angelici sublimia festa diei
Allatura piae dona beata animae...

vel in illo de *Cereo Paschali* [5]. Saepissime autem similes soni in initio vel praecipue in clausulis carminum geminantur novissimique versus eum plerumque concentum praebent [6], quo suavius permulceantur aures. Alias vero is

1. *Fit copia vilis*, quod aiunt.
2. Duemmler, op. cit., II, p. 154.
3. Ibid., II, p. 507 sqq.
4. Ibid., carmen X, p. 540 ; insunt 48 versus et 13 leonini.
5. Ibid., carm. XXXIX ; in quo insunt 50 versus et 15 leonini.
6. Cf. ibid., carmina 22, 24, 25, 26, 27, 28.

carmen per trinas elegantias perficit leoninas, hoc modo :

...Exspecta dominum constanti corde benignum
Semper et adversis conflige viriliter armis :
Nam bona perpetui patiens feres inclyta regni [1].

Haec fiunt, quasi tristichis scriptum esset ; sunt quoque in perpetuis Flori poematis versus aliquot ad instar monostichorum [2], ut ille :

Johannis oritur, genitoris lingua profatur [3].

Non aliter versificavit et Walahfridus Strabo [4], sancti Galli scriptor vitae, et Wandalbertus [5] qui plurimis metris, non tamen leoninis continuis usus est, et Paschasius Radbertus [6], in Suessionensi Corbeiensique coenobio versatus et Sedulius Scott disticha aut tristicha leonina pangendi studiosissimus, ad hunc modum :

Cyclica quadrifidis currebant tempora metis,
Vernabat vario tellus decorataque peplo
Lactea cum roseis certabant lilia sertis [7].

Quae ornamenta et in ultimos carminum versus creberrime induxisse eum constat e nonnullis poematis ; sufficiet unum hoc exemplum afferre :

1. Ibid., carm. VII.

2. *Disticha* vero, e duobus hexametris constantia, poetae fere non componebant, ne fortasse cum elegis conjungerentur.

3. *Gesta Christi* ejusdem II, 31.

4. Duemmler, op. cit., II, 259 ; ejus in poem. XXV insunt 18 versus quos inter 3 leonim. Cf. carm. 30 et 40.

5. Ibid. II, p. 507 sqq. Wand. didascalica varia variis metris condidit atque in epistola ad Otricum se fatetur ope et subsidio usum esse Flori Lugudunensis, sancti ac nominatissimi viri ; in abbatia Prumiensi moratus est.

6. Duemmler, III, p. 38 sqq.

7. Ibid., carm. ejus 81. Cf. 27, et permulta alia ad Karolum Calvum.

Ad Salemona pium populus concurrit in unum;
Subdite Caesareo debita regna viro [1].

Qui omnes poetae illustres et praestantes, ut illis temporibus, evaserunt.

Quid autem ignotos eos memorem monachos qui permulta carmina scripserunt Sangallensia [2], Cenomanensia [3], Centulensia [4], Hincmarum [5], Radbodum [6], anonymum Belgam [7] qui poematis de S° Landberto scriptor fuit. Hi priores prosecuti sunt. At boni sane auctores in primis, Johannes Scott [8], vir doctissimus, utpote Erigena, qui scholasticam philosophiam condidisse fertur, Ermoldus Nigellus [9] et Abbo [10], Sangermanus illustris monachus, qui « Bella Parisiacae urbis », cecinit, has nugatorias sonorum geminationes plerumque contempserunt. Ita quidem apud hos se res habet; nihilominus pauci in continuos jam versus bina verba similiter desinentia acceperunt: quae primum reperiuntur in quodam ad Remensem archiepiscopum Ebonem carmine, quod, testibus J. Mabillonio [11] et Dümmler [12], litteris aureis eleganter in evangeliario Petrus abbas

1. Ejus carm. 27, *loc. cit.* Cf. quoque 10, 11, 12, 15, 19, 20.

2. Dümmler II. Quorum unum (v^{m}) partem dimidiam leoninorum praebet.

3. Ibid., II, 623 sqq.

4. Ibid., III (abb. S^{t} Riquier).

5. Ibid., III. Cf., p. 416, 417; *titulatio metrica ad Karolum regem.*

6. Ibid., IV.

7. Ibid., IV, p. 143 sqq.

8. Ibid., III; scripsit ad annum 860, de quo Gilson disseruit, p.11-26, in *Philosophie au Moyen Age.*

9. Ibid., II, p. 1 sqq., *de vita et armis Ludovici Pii;* quod opus editurus est Faral (ap. Champion).

10. Is obiit ann. circiter 922; neque est commiscendus cum Abbone abbate Floriacensi (†1004). Quod carmen pangebat ad ann. 887.

11. Ann. Bened., II, p. 508 (XXX, 2).

12. Dümmler, I, p. 623, II (in Gestis Apollonii). Cf. Gallia Christiana, IX, 33-38.

Altivillarensis exarandum curavit; sed utrum Petrus ipse scripserit an jussu sui abbatis monachus Placidus, non satis constat: illud Dümmler, hoc censet Dom. Mabillonius [1], quod est longe verisimilius, sicut patet e versibus 12, 13, 15, 18:

...Abba humilis noster Petrus Placidusque [2] *magister*
Coepit anhelanter, perfecit et ipse flagranter...
Sic et ut ornavit domino Petroque dicavit...
Praecepit dominus, perfecit vernula [3] *fidus.*

Quidquid id est, illud poemation Ludovico Pio imperante [4] ante annum 840 compositum est, priusquam Ebo, ad quem mittitur, a papa alienatus est [5]; exorditur autem sic:

Ebo, Remense decus, praesul pastorque coruscus,
Celsa et clara farus [6], *sanctis per saecula carus;*
Ordinis omnis honos, pariterque piissimus heros,
Atque sui compos, quin noster ad omnia custos...

Sex et quadraginta versus continet quos latius non citabimus; quibus non singulis tantum, sed binis, ut supra, aut senis insunt gemina consonantia verba, ad modum hymnorum, sicut in versibus 24-29 vel 41-46. Imo finalium consonantia ea lege fit ut altera non antea elidatur, velut in versu undecimo qui talis est:

Cujus ad imperium accelerans velociter illum [7].

1. Cum eo consensit G. Paris.
2. Placidus, *Mabil.:* placidus (?) Dümmler.
3. Sicilicet monachus, jubente abbate.
4. Quod apparet e versu 8: ...*praecelsi regis amicus.*
5. Cum Gregorio IV rediit in gratiam anno 845 et vita decessit anno 851.
6. Quod melius scriptum esset *pharus.*
7. Idem evenit in septimo versu.

Quod carmen primum, meo quidem judicio, more leonino conditum est; non multo post et Engelmodi Suessionensis episcopi elegi [1] in hunc modum perscripti sunt, quorum principia sunt ab his:

El. I [2] *Expeteres fidi si, cartula, limen amici*
Qualem credideras, quem — sed amica — notas...

El. II [3] *Castalidum madidos divino rore corimbos*
Intuens docto non satis articulo...

Haec episcopo cuidam Engelmodus dedicaverat: tertio epistulam [4] ad Radbertum abbatem misit, quae meris constat hexametris: sed in his vix est septima pars leoninorum.

Eodem fere tempore Godescalcum [5] pauca carmina sua similiter illustravisse planum faciunt qui sequuntur versus, e carmine [6] ad Rathrammum prompti:

Septeno Augustas decimo praeeunte kalendas,
Solis equi dulcem [7] efflarunt ubi naribus ignem,
Fluctibus Oceani capita atque jubas madefacti,
Assuetum ad cursum properantes vertere currum,
Splendida jam toto cesserunt sidera caelo,
Pallida germano cessit quoque Cynthia Phoebo...

Qui postremi ambo notatione sunt digni, utpote venusti et congruentes cum Bedae praeceptis: quae tamen male me-

1. Dümmler, III, 54 sqq.
2. Ibid., p. 55; in quo 114 versus continentur.
3. Ibid., p. 59; ubi insunt 106 versus.
4. Ibid., p. 62; quod habet 178 versus.
5. Ibid., III, p. 707, sqq.
6. Ibid., p. 733; insunt 154 versus.
7. Ut supra, in versibus ad Ebonem.

minerat cum ibidem in decem deinceps versibus idem ornamentum repetebat, talibus flosculis nimio opere delectatus.

Haec omnia genuina nobis videntur et certissima esse litterarum monumenta saeculo IX° medio composita; eos tres poetas de quibus supra sumus locuti, Placidum videlicet, Engelmodum Godescalcumque, quique in illis metris principes fuerunt phaleratis frequentandis, utique mirum est in eadem Remensi regione floruisse: quia fortasse in cathedrali Remorum schola et vicinis abbatiis haec versuum exornatio vehementer commendabatur a magistris.

Multa autem aut subditiva aut spuria nobis fuerunt rejicienda, praesertim cum multo post saeculum nonum essent scripta: ita se habent Gesta Apollonii [1] saeculo X° (aut XI° ?) condita, *ab aliquo poeta regionum ripas fluminis Rheni circumstantium*, ut censuit Dümmler. Qui scriptor Walahfridum Strabum proprio nomine in sermonem quemdam induxit, in quo personae vicibus alternis colloquebantur, ipsumque facit talia tanquam ex cathedra pronuntiantem:

Auribus intentis, toto moderamine mentis
Quod suadet Strabo sollerter concipe Saxo:
Est reticere nefas nobis, cum prompta facultas.

Namque Walahfridus Strabo magna auctoritate, utpote Germanus, in iis regionibus valebat; ejus operibus poemata dubia [2], consonantibus ornata, addita sunt; quae ab eo non sunt composita sed a recentioribus poetis; ex his unum est praecipue notandum *de Sancto Gallo*, fortasse a

1. Dümmler, II, 483 sqq.
2. Ibid., p. 397, sqq., carm. 50-56.

monacho quodam Sangallensi scriptum, ubi ea legimus:

> ...*En ursus Gallo famulatur pane recepto,*
> *Dum simulat sommum levita cubando per arvum;*
> *Sancti ductorem pisces captare volentem*
> *Feminea in specie terrebant daemonis irae...* [1].

Iisdem metris et modis carmen conditum est de Sancto Cassiano [2], ad annum 946; qua circiter aetate in vulgus exierunt Carmina de S° Quintino et Sª Benedicta. Ceterum plerosque aut anonymos aut ignobiles poetas [3] praetermittimus qui tunc magis ac magis versibus usi sunt leoninis: ii in poesim latinam velut novam sensim obrepebant, prout reliquae paulatim exornationes obsolescebant. Tandem post feram immanitatem saeculi decimi, mitiora ad tempora restituimur: namque saeculo XI°, post illum millesimum exactum annum quando

Omnibus exitium vates fatale canebant,

litterae in Gallia latinae, barbarorum incursionibus obscuratae, rursus tum cum maxime splenduerunt. Italicus tamen Petrus Damiani [4], medio fere saeculo XI°, egregius poeta ante nostrates floruit: is leoninum concentum admisit non solum in monosticha:

> *Ecce parat clausam regis praenuntius aulam* [5]

vel

> *Natus ab aeterno prodit de Virginis alvo* [6],

1. Ibid., carm. 53.
2. Dümmler, IV, p. 181 sqq.
3. Melius nuncupari omnes paene possent *versificatores*, ut aliquid nove dicamus, quod re vera meram poesim non agnoverunt.
4. Migne, Patrologia, 144-145; D. Constantin, Parisiis, 1642. P. Damiani obiit anno 1072.
5. Ibid., 145, col. 925 (carm. XI): de *Annuntiatione;* repetitum ad col. 960 (carm. 131).
6. Ibid. (carm. XII): de *Nativitate Domini.*

in disticha (non autem ad modum elegorum):

Ignit apostolicum linguarum flamma senatum,
Germinat et varias quasi vox fecunda loquelas [1].

in tristicha [2], tetrasticha [3], verum etiam in longiora et graviora poemata, velut carmen *Ad papam Alexandrum Admonitio*, illud *de Omnibus Sanctis*, aut *Laus eleemosynae*, aut ea quae *Avaro diviti* et *Viro superbo* missa sunt, et in varia ac permulta alia.

Nunc vero ad celeberrimos totius Galliae poetas latine scribentes adducimur qui ab anno circiter 1080 sua pangere, quique versus leoninos continenter frequentare et in vulgus spargere coeperunt: hi sunt Hildebertus de Lavardino, omnium primus atque post eum secundus, Marbodus. Sed antequam de his loquamur, pauca sunt dicenda, ut antea de carminibus, sic de duobus nunc aliis poesis generibus, quae sunt epitaphia et rhythmi, quantumque haec a saeculo nono ad undecimum viguerint, perquam breviter monstrandum. Etenim, ni faceremus, difficile esset probabiles nancisci causas cur leonini, ut postea sunt appellati, versus studio et favore vulgi clericorum fruituri essent.

Tempore autem nullo epitaphia plura inscripta sunt quam his tribus saeculis [4]: prope enim innumera exstiterunt. Tanta exiguis viribus nostris materia proponitur! Neque mirari satis possumus inscriptiones veteres Graecas Latinasque, etiam minimas, religiose colligi, nostras vero,

1. Ibid. (carm. XLIII): *de Pentecoste*. Cf. 41, 133, 134, 137.
2. Ibid., 163.
3. Ibid., 147.
4. Item saeculo XII° et XIII°.

quamvis multas aut insignes, contemni et paene ignorari [1]. Quae sparsae undique e libris, e codicibus sunt eliciendae; iisdem subjungemus titulos in portis basilicarum, in statuarum basibus, in vasis sacris, in phylacteriis vitrearum fenestrarum, aliisque locis inscriptos. Ceterum epitaphia non semper in lapidibus incidebantur, sed saepe scribebantur tantum in membranis, ut fiebat olim apud veteres; nam memores esse cogimur tot epigrammatum quae poetae Alexandrini vel Latini quoque condiderunt, in primis aut titulorum aut epitaphiorum quae plerumque in chartis, in marmore raro inscripta sunt. Cur autem tam multa haec fuerint in Gallia facile intellegitur: quotiescumque enim imperator, rex, princeps, dux, comes, episcopus, abbas, monachus etiam egregius e vita excesserat, poeta unus aut plures titulum sponte sua componebant; imo multi saepe in ejusdem epitaphio condendo certatim quisque suo laborabant et, quod omnium consensu erat optimum, id in lapide incidendum curabant, aut saltem in obituarium vel annales quosdam transcribebant. Liceat vero unum exemplum afferre, auctore Orderico Vitali [2]: cum anno MCVII^o^ Guillelmus de Ros, tertius abbas Fiscannensis, decessisse nuntiatus esset, undique eo convênerunt ejus fideles, amici, discipuli qui « *multa prosa seu metro, inquit ille, super illo conscripserunt. Speciale tamen, quod Hildebertus Cenomanensis ep. edidit, aureis litteris charaxatum; sic super illum imposuerunt:*

Pauperibus locuples et sacri nominis abbas
Willelmus solo corpore cultor humi...

1. Adhuc deest *Corpus Inscript. Christian. Medii Aevi.* J. Mabillonius tamen, de Guilhermy, Quesvers et Stein, aliique multi de his scripserunt.

2. Hist. eccl., V, 92.

Luce gravi nimium, quae sexta praeibat Aprilem
Redditus est patriae spiritus, ossa solo »[1].

Quod carmen Hildebertus composuerat excluso similiter desinentium ornamento, quod pro tali tempore puerile ac parum idoneum videretur.

Non igitur mirandum cur cujusdam hominis defuncti plura adhuc exstent epitaphia ; et illud accedit quod non semper post mortem condebantur, sed non nunquam sive humili sive glorioso animo aliquot [2] ipsi sibi vivi ea fecerunt ; saepe etiam multo post, dum ecclesiae restituuntur aut ipsorum transferuntur [3] cineres, altera poetae renovabant. Quin etiam epigrammatum numerus augebatur *mortuorum rotulis :* hi erant volumina quae, defuncto inclyto quodam, legatus, cui nomen erat gerulus vel pellifer, vicissim per ecclesias, monasteria, scholas totius Galliae circumiens secum ferebat, ut in iisdem inscriberentur versus, prosa in mortui laudationem. Quae res in consuetudinem venit praecipue saeculo x° et xi°, sicut docuit L. Delisle in suo *de Voluminibus Mortuorum* libro : ita in rotulo Guifredi comitis († 1051) monachi ad coenobium Kanigonense, CXXXIII capitula aut epitaphia scripta sunt ; et qui paenultimum notavit, tandem animadvertit [4] (per me equidem id facere licuisset !) multas jam sermonum va-

1. Quod epigramma XIV versibus constat. Cf. etiam Gall. Christ., XI, col. 40 ; Ann. Bened., V, 71, 32 ; Migne, 171, col. 1398 (Hildeb. carm. 43).

2. Ita Alcuinus, HRabanus Maurus, Petrus Damiani et multi alii ; inveniri fere semper in iis possunt haec verba alloquentium viatorem :

« *Quod nunc es, fueram ; quod nunc sumus ipse futurus* »

aut similia. Apud Romanos, Naevius, Plautus, Pacuvius epigrammata ipsi sibi fecerant (Aul. Gell., I, 4).

3. Quod factum est in Hugone de S° Victore cujus epitaphium alterum habemus anno 1335, translato corpore, compositum. Cf. Gall. Christ. VII, 661.

4. L. Delisle, *Volum. Mort.*, p. 13.

nitates profluxisse, cum nimis *prosa, versibus, oratione, philosophando* lusum esset. Imo vero, mortua († 1113) Mathilde abbatissa [1] Trinitatis Cadomensis, filia Guillelmi Britanniae domitoris, scriptores non minus quam CCLIII opusculum quoddam rotulo [2] mandavere; in hoc nonnulli versus insunt scholares et, quae magnopere delectant, optima discipulorum Turonensium inter se certantium carmina [3] quattuor nobis tradita sunt, ubi legimus haec:

Femina femineum domuit non femina sexum.

Et Senonensis schola, Pončio magistro, sua carmina [4] suppeditavit cum rhythmis, ut sane praeceptum erat, ubique leoninis. Tantum titulorum flumen de scholis vel scriptoriis monasteriorum manabat! Ibi, quemadmodum lapicidae tumulos caelo et ascia exsculpunt, ita versificatores epitaphia calamo componebant et colligebant ad singulas dignitates accommodata, ad usum imperitorum, relicto tamen in versibus intervallo, ubi nomina interponerentur [5] mortuorum.

His de causis epitaphia ubique adeo multiplicabantur; quibus vero metris scriberentur jam considerandum. Ea plerumque sive hexametris sive distichis constabant: breviora autem carminibus sed antea atque saepius exornata sunt similiter cadentibus: quod excerpta e tot epigrammatum millibus quaedam tantummodo demonstrabunt exempla.

1. Cujus mater, Mathildes quoque nomine (†1083), hanc abbatiam condiderat, hujus habemus adhuc rotulum (Cf. Ann. Ben., V, 689 append.).

2. L. Delisle, op. cit., p. 177 sqq.

3. Ibid., carm. CCXV.

4. Ibid., car. CCXVI.

5. Ibid., p. 151 et multilocis. Saepe etiam ad epigrammatis versus ascribebatur oratione soluta et defuncti nomen et dies mortis.

Namque, sicut Beda, litterarum judex, praeceperat, poetae exeunte prope saeculo VIII° in epitaphiis medios atque extremos versus similiter definiebant; et in Sangallensi monasterio, anno circiter 759, hic titulus [1] scribebatur:

Vincula perpessus, sibi vixit carcere pressus;
Exsilium tulerat, fame, frigore fractus obibat...

et ejusdem generis alia; item Hildberti Coloniensis episcopi epitaphium († 762) disticho hoc constat [2]:

Hildbertus meritis qui fulsit episcopus annis
Assumptus caelo hoc jacet in tumulo

ubi coeuntes vocales non conjunguntur.

Saeculo autem nono, longe plura epigrammata, quanquam Alcuinus et Walahfridus Strabo et nonnulli poetae iis nugis abstinebant, sunt tamen illustrata simili verborum terminatione: cujus rei testes erunt epitaphia Gerbaldi [3] Leodiensis episcopi († ad 810), Rachionis [4] († 812) abbatis Gregoriani monasterii in dioecesi Argentoratensi, Hildgrimi [5] († 827) et Gerfridi († 838) Coloniensium episcop., Arremari [6] († 850) Trecensis episc., Ansegisi [7] († 883) Senonensis episc. et multa alia. Verum enim si a clericis animos traducemus ad imperatores, Ludovici Pii epitaphium († 840) habere hexametros reperiemus [8] hujusmodi:

1. Gall. Christ., V, 948 (anno 757 ??).
2. Gall. Christ., III, 632. Cf. Andegarii epit., ibid., V, 992 (†796).
3. Ibid., III, 832.
4. Ibid., V, 785.
5. Ibid., III, 725, sq.
6. Ibid., XII, 53.
7. Ibid., XII, 27.
8. Dümmler, II, 654; septem continentur disticha.

Praecelsus meritis, famoso et nomine clarus
Felix Augustus hic Ludovicus adest;
Corporis hic artus clausit, quando ultima solvit
Humanae vitae et spiritus alta petit;
Hic fidus, fortis, nulli pietate secundus...

cum illud, pro nova consuetudine, concinnius atque ornatius dici posset:

Hic fortis, fidus, *nulli pietate* secundus...

cumque paulo ante, ad monasterium Beatae Mariae quod sub jure erat episcopi Vormatiensis, in foribus templi a Ludovico Pio dedicati, more Karolino, titulus his verbis ferebatur consonis:

Claustri fundator, Ludovicus induperator,
Princeps egregius cui det Deus arce poli jus [1].

Neque multo post Karolum Calvum exstinctum († 877), in monumento quod in Basilica Sancti Dionysii positum est illi, inscripta sunt [2] in ipsius honorem tria disticha ubi fines versuum continenter consonant ad hunc modum:

Imperio Karolus Calvus regnoque potitus
Gallorum jacet hac sub brevitate situs... [3]

At ejusdem alterum, eo fere tempore, Theodulfo auctore, epitaphium legi poterat tale [4]:

Cum denis lustris ternos minus inclytus annos
Rex ageret Karolus, sceptra tenendo pia...

1. Gall. Christ., V, 709.
2. Circiter ann. 890 (?).
3. Gall. Christ., VII, 359. Ann. Ben., III, 37, 99.
4. An. Ben., II, 28, 19.

ubi desunt leonini. Simili autem varietate, Ebonis[1] († 851) et Hincmari[2] († 882), Remensium episcop. inscriptiones, item HRabani Mauri[3] Moguntiaci episc. († 856) prope iis ornamentis caruerunt, sed ejus qui huic successit, Karoli[4] episc. elegidion († 863) exornationibus illustratum est. Vulgares ergo et leoninos versus incredibili mobilitate hic et illic poetae alii aliis temporibus condebant. Illos tamen ubique, hos crebrius usurpaverunt in iis Galliae partibus quae ad orientem solem spectabant et in valle Rheni, quippe ubi Karolus Magnus quique eum exceperunt imperatores, scholis et monasteriis saeculo IX° maxime favissent.

Saeculis autem consequentibus, hujus modi longe plura etiam fuerunt: e multis tamen suffecerit proferre epitaphium Notkeri Balbuli († 921), inclyti abbatis ejus monasterii quod Sancti Galli nominatum erat:

Ecce decus patriae, Notkerus, dogma sophiae[5]
Ut mortalis homo, conditur hoc tumulo[6],

Drogonis[7] Tullensis episc. († 922), Willelmi Nortmannorum principis († 943) qui

Rexit Nortmannos viginti quinque per annos...

Ayrardi, Carpentoractensis episc. († 948)

Artus Ayrardi redolent velut unctio nardi...

1. Gall. Christ., IX, 33-38.

2. Ibid., 44 (excepto initio et fine carminis).

3. Ibid., V, 447 sq.; insunt XII disticha et in iis quattuor aut quinque leonini.

4. Ibid., V, 449.

5. Hujus verbi *sophiae* prosodia a pristinis christianis poetis deprompta videtur esse, velut e Prudentio (Sym. 1, 34) et Ven. Fortunato.

6. Ann. Ben., III, 41, 69.

7. Gall. Christ., XIII, 975.

ubi similitudo cadentium *Ayrardi* et *nardi* in stricto sermone tam celebrata et trita [1] est per totum Medium Aevum; nec non Ludovici [2] regis († 954), Ratherii [3] († 974) ecclesiae Leodiensis, Notkerii [4] alterius Sangallensis († 981) Hugonis et Letgardae [5] († 985) matris ejus, Widonis († 986) et Adalwini [6] († 995) Gandavensium episcop., pluriumque, praesertim saeculo XIº, titulos quos commemorare latius supervacaneum est. Hos legentibus constat saeculo IXº prope quartam partem versuum similiter desinentibus ornatam fuisse, saeculo Xº plus quarta parte, saeculo autem XIº fere dimidiam partem atque dodrantem nonnunquam. Eosdem igitur, quoniam in omnes partes per clerorum vulgus longe disseminabantur, necesse est plurimum valuisse ad augendas in carminibus eas exornationes.

Quod vero de epitaphiis jam dictum est, in quibus rationem temporum magis quam aut dignitatum aut regionum habuimus, id haud scio an liceat de rhythmis verissime dicere. Etenim propter nimiam in eis numerorum tenuitatem infirmitatemque nusquam consonantia verba magis erant opportuna et necessitate quadam futurum erat ut haec in rhythmis essent innata atque insita. Quos, quod praeter modum vulgares humilesque essent, e proposito diu omiserunt scriptores Grammatici et Metrici. Tandem rhythmici versus, utpote faciliores et pro renovata

1. Sicut nomina *abbas* et *lampas*, *thalamus* et *tumulus*.
2. Ann. Ben., III, 65,58.
3. Gall. Christ., III, 842.
4. Ibid., 845.
5. Ibid., II. 37.
6. Gall. Christ., V, 193-194.

lingua latina expeditiores, adeo pervulgati et usitati fuerunt, ut Beda [1] ad finem sui de Arte Metrica libri de his disserere, se paene excusans, deberet. Ceterum, in his rebus, ut leonine eloquar,

haeret, materiam ingrediturque novam

cauta definitione haec declarans :

« ...*Videtur rhythmus metris esse consimilis, quae est verborum modulata compositio, non metrica ratione sed* numero syllabarum *ad judicium aurium examinata, ut sunt carmina* vulgarium *poetarum...* ».

Quae probanda nobis utique viderentur, nisi Beda edocere omisisset ubi versuum essent acutae syllabae collocandae. Sed enim poetae rhythmici illam rectis locis ponendam, ut animadvertit L. Havet [2], non semper curabant, propterea quod rhythmi a metris declinaverant in quibus id nihil intererat.

Quidquid id est, rhythmi vocabulis modulate consonantibus cito exornati sunt, ut saepe fuere, saeculo VIII° exeunte, Pauli Diaconi hymni. Sed carmina qui hujus nomini addicuntur, plerumque subditiva aut saltem dubia sunt ; certe, saeculo IX°, sicut in carminibus epitaphiisque, ita in rhythmis istae exornationes magis ac magis vigebant. Verum, circiter finem saeculi IX¹, maximi momenti res evenit nova : vastato enim a Nortmannorum manu cœnobio Gimediensi [3], Yso monachus ad Sangallense monasterium

1. Migne, Patrologia, 94 (t. V), 173, cap. 24, et H. Keil. Gram. lat., VII 258 sq.

2. Havet-Duvau [5], 496, 502, 503, ubi versus *Apparebit repentina* et ceteri e Beda prompti sunt (loc. cit).

3. Jumièges, ann. 851.

confugit ubi Notkerus [1] Balbulus cantui operam dabat: ibi tunc, in celebratione Missae, post Epistolam canebantur *sequentiae,* secundum praecepta cujusdam nomine Romani quem Karolus Magnus a papa Adriano petierat ad reformandam musicam: quae sequentiae [2] nihil aliud erant nisi vocis flexiones in cantu unius vocalis « A » quae festivum vocabulum *alleluia* claudebat. Numeros tantum Sangallenses antea tenebant: Yvo verba attulit et adjunxit. Quo docente, Notkerus novos hymnos condidit [3] quos appellaverunt *sequentias* quoque, aut aliter *prosas, cantilenas, cantica, laudes:* in his rhythmis erant membra vel clausulae bis repetitae cum certo syllabarum numero. Quae syllabae cum plures essent quam ut numeri ab audientibus plane sentiri possent (erant autem plerum que septendecim [4], vel viginti tres, vel viginti sex et plures non nunquam), Notkerus in recentiores prosas, exeunte fere saeculo IX°, verba simili una tantum vocali desinentia induxit, in exitu clausularum collocata. Quam vocalium similitudinem quae neglectis fit consonantibus vicinis, Galli *assonance* vocavere; ea in hymnis sacris omnibus extemplo usitata est et dehinc maxima floruit gratia. Quanta autem fuerit apud nos vis prosarum, quantoque nostrates in his praestiterint, operibus canonici Ulyxis Chevalier satis demonstratum est. Nil igitur est miran-

1. Qui vir inclytus, ut ait Ekkekard, corpore non animo erat gracilis, voce non spiritu balbulus, postea abbas creatus est et obiit an. circiter 911.

2. Haec omnia et quae sequuntur e libro L. Gautier de Ada de Sancto Victore sumpsimus (cf. passim), cf. de iisdem Bartsch.

3. Intra annum 860 et 871, quoniam Yso Sangallenses monachos adiit ann. circ. 860 et e vivis excessit anno 871.

4. Qui syllabarum numerus est hexametri qui meris dactylis constat. In longioribus his versibus similitudine extremarum vocalium ea opus erat qua audientes, tanquam campana, de fine admonerentur.

dum quid ad hymnorum instar poetae tunc similiter cadentia ornandi causa libentissime ad profana carmina adhiberent.

Saeculo vero XI°, latinis in rhythmis articuli breviores fiebant quam olim in Notkerianis, ut apparet ex his Damiani Petri *super salutatione angelica* [1]:

...Tui sapor germinis nostrum est solamen;
Per te vitae sumpsimus aeternae libamen,
Quam det nobis Dominus per tuum juvamen
Qui vivit in saecula saeculorum. Amen.

In quo tredecim syllabarum versus in bina membra divisi sunt, alterum septem, alterum sex syllabarum; minores etiam saepe sunt ejusdem versiculi: nam hendecasyllabos [2] reperimus et decasyllabos [2]; saepius autem ejus hymnorum strophae aut quaternos aut senos versus syllabarum octo [3] vel septem [4], vel utrosque continent, alteris alteros in vicem excipientibus, quasi fuissent quondam dimetri iambici aut trochaïci catalecticis dimetris succedentes, ad hunc modum:

Paschalis festi gaudium
  Mundi replet ambitum;
Caelum, tellus ac maria
  Laeta promant carmina
Et alleluia consonis
  Modulentur organis [5].

1. Migne, Patrol., 145, col. 939 (carm. 63).
2. Ibid., carm. 62.
3. Ibid., carmina 35, 36, 72.
4. Ibid., carm. 61.
5. Ibid., carm. 40. *Rhythmus Paschalis* (col. 931). Ea quae citatur stropha

Sed rhythmorum tot schemata exstiterunt ut ea proponere omnia nequaquam possimus. Tanta in varietate, constanter tamen rhythmici ejus aetatis poetae vocalibus ad augendam concinnitatem similibus exornabant non solum binos sed plures etiam saepenumero continuos [1] versus. Itaque, prosarum more, in Gallicae linguae carminibus eas consonas repetebant pariter per multos deinceps versus, hosque totos vocabant *laisse* vel *couplet:* quos jam medio circiter saeculo XI° invenimus in *Chanson de St Alexis* [2]. Qua fere tempestate, inter annum 1060 m. et 1080 m, ut ait L. Gautier [3], vir Medii Aevi hymnis eruditissimus, poetae non unam solum vocalem in versuum finibus, verum etiam totam, adjunctis consonantibus, syllabam idem sonantem ponere coeperunt, quam Galli *rime riche* appellant. Attamen antea ab hymnistis non bis tantum extremos versus ita definitos esse passim reperimus cum multis locis, tum in Guidonis Arretini [4] monachi hoc rhythmo *de Beata Maria Virgine:*

O mira caritas
Mira bonitas
Immortalitas
Et aeternitas!
Comparantur imis caelestia...

trochaïci modi est, praeter versum primum ac quintum qui iambicus est. Hoc scribendum est :

Paschális fésti gaúdiúm
Múndi réplet ámbitúm
Caélum, téllus ac máriá,
Laéta prómant cárminá, etc.

Versus tertius partim trochaïcus, partim iambicus est. Cf. carm. 95 *de Sancto Vincentio* (col. 947).

1. Ut fit supra. Cf. *Super salutatione angelica* vel carmen 62 ejusdem.
2. Ad annum 1040, si credimus Bédier-Hazard (I, 4, Hist. litt. fr.).
3. Op. cit., App., p. 309 sqq.
4. Ad annum 1040. Cf. Phillimore: *The hundred best latin hymns*, p. 28.

Sed ille sonorum amplior concentus posthac in universas prosas prolatus est, ex quo canorum illud effectum est saeculo XII° in Ada de S^to Victore, scriptore hymnorum ex omnibus optimo (†1191). Ne quis vero, iniquum studium increpans, criminetur nos tantum fere Gallicos poetas afferre: hi enim longe ceteris et numero et ingeniis antecellebant, ut ipse testatus est J. S. Phillimore [1], anglicus professor, qui nuperrime de his scribens confirmavit

...the superior excellence of the French work belonging to the XIIth and XIIIth centuries. There we have our « grand siècle »...

Quam excellentiam non solum in hymnis, sed etiam in omnis generis carminibus condendis fuisse patet nostratium, idque saeculo XI° nondum peracto.

Non enim, ut vulgo creditur, saeculo XII° floruit Hildebertus de Laverdino, neque Marbodus, sed ab anno ferme MLXXX°, quod facile monstrabitur. Hoc ad nostram rem magnopere refert; etenim ante eos multi sane et non ignobiles versificatores in pauca et brevia poemata *homœoteleuton* passim incluserant, sed Hildebertus ille primus et, fere simul, Marbodus ingenio secundus ab eo, in permulta et longa carmina eandem continenter exornationem sumpserunt. Imo ante eosdem una tantum vocali ultima vel penultima, fines aut hemistichiorum aut versuum saepe consonabant, non secus ac in his:

1. Op. cit., VII.

Immeritis rapuit te lux septena decembris... [1]
Pontificum sidus, Fulbertus fulgidus actu [2]...
Crux est vita mihi, mors, inimice, tibi [3]...

Sed, illis auctoribus, pluribus litteris vel tota syllaba una, nonnunquam duobus concordia fiebat sonorum velut in his Hildeberti hexametris [4]:

*Rex Constant*inus, *mitis nec honore sup*inus,
*Turmas host*iles *membris animisque vir*iles
*Dum prope sent*iret, *dum paene timore per*iret,
Aspicit in somnis *per quod metus aufugit* omnis...

Idem anno [5] circiter MLV° natus est in viculo Lavardinensi, non longe ab his agri Vindocini regionibus quas alluit *caerula lympha Liger;* utrum vero apud Cenomanos an Turones, Berengario magistro, in studiis litterarum versatus sit, minime constat; certe, quamvis humili loco genitus esset, ab Hoellio episcopo propter eximiam scientiam scholae Cenomanensis moderator creatus est non multo post annum [6] MLXXX^m; hanc rexit tredecim annos, archidiaconus factus [7] adeoque in erudiendis discipulis enituit ut undique, etiam a Britannia, juventus ad eum conveniret. Quare communi cleri populique, ut aiunt [8], clamore et assensu epicopus salutatus et in locum Hoellii

1. Gerberti Auriliacensis carmina ed. A. Olleris (1867) carm. 79; *epit. Ottonis Caesaris* (†983).

2. *Epit. Fulberti Carnotensis* (†1029) v. 3. Gall. Christ., VIII, col. 1116.

3. Petri Damiani carm. 38 *(De Sancta Cruce).*

4. *De Inventione Crucis,* 1-4 (ed. Beaugendre, 1255). Migne, 171 (ed. Bourassé).

5. Auctore J. Mabillonio; Ann. Ben., V, 377; si autem credimus Beaugendre op. cit.), ann. 1057.

6. Anno fortasse 1079. Cf. Gallia Christ., XIV, 377.

7. Circa annum, 1092.

8. Quia *vox populi, vox Dei.*

mortui substitutus est [1]; postremo archiepiscopus Turonensium factus est anno MCXXV° diemque obiit supremum forte an. MCXXXIII° [2].

Ille, cum alia opera, tum didascalica carmina scripsit cum verbis similiter cadentibus collocatisque in binorum hemistichiorum finibus, ut ea quae inscribuntur *Physiologus* [3], *de Ordine Mundi* [4], *in primum caput Ecclesiastes* [5], *de Machabaeis* [6], *Inscriptionum Christianarum libellus* [7], *de Sancto Vincentio* [8], *de Inventione Sanctae Crucis* [9], *Vita Beatae Mariae Aegyptiacae* [10], *de Mahumete* [11]. Quae poemata meris hexametris aut distichis constant. In aliquot vero versus singuli ternis verbis ad trihemimerem et hephthemimerem caesuram exitumque positis ornantur scribique possunt in modum hymnorum:

Stella Parens
Caro labe carens
Et dulcis odoris, —
Stella maris
Cui nulla paris
Fuit orta decoris. —

quae legere possumus ita:

1. Ann. 1097; electus autem et consecratus erat extremo anno 1096.
2. Ita censet Beaugendre; certe obiit inter annum 1031 et 1034; de ea re magna fuit contentio. Cf .Hist. litt., XI, 250-412. Mabill., Ann. Ben., VI, 76, 58.
3. Migne, op. cit., col. 1217 sqq. Beaugendre, op. cit., col. 1173 sqq.
4. Migne, ibid., col. 1224 sqq.
5. Ibid., col. 1271 sqq.
6. Ibid., col. 1290 sqq.
7. Ibid., col. 1282 sqq.
8. Ibid., col. 1301 sqq.
9. Ibid., col. 1315 sqq.
10. Ibid., col. 1321 sqq.
11. Ibid., col. 1343 sqq.

Digna coli, Regina poli, flos imperialis,
Cella Dei, speculum fidei, virgo specialis [1].

Namque non hemistichiorum, sed versuum interdum fines illa exornatione insignes fiunt, velut in carmine *De Sancta Eucharistia* [2]; saepe quoque utrumque ornamenti genus in iisdem poematis miscetur, quod fit in *Libris Regum* [3]; in nonnullis autem similiter desinentia temperavit, ne, sine dubio, nimia eorum assiduitate taedium afferretur. Quin etiam ab iis quae nobis nugatoria videntur, prope abstinuit in ceteris poematis, non ut inornate ac nude diceret, sed ut alteris plerumque studeret verborum conformationibus, quae nuncupantur *articulus, disjunctio, dissolutum;* haec autem tria proxima sunt et de simplici genere manant: caesa enim his exornationibus oratione, singula verba aut sententiae intervallis distinguuntur. De quibus Cicero in quarto *ad Herennium* [4] libro disseruerat; de iisdem Marbodus praecepit in suo [5] *de Ornamentis verborum* qui *versificaturo* magno usui esset futurus. Qua eloquendi venustate longe reliquis Hildebertus excelluit eaque maxime usum esse ipsum videmus in iis carminibus quibus sunt tituli *de Mysterio Missae* [6], *de Operibus sex dierum* [7], *de Ornatu Mundi* [7], *de S^a Suzanna* [9], *Passio S^ae Agnetis* [10],

Cujus martyrium metricis *depingere tentat*

1. Ibid., col. 1285; cf. P. Dam., carm. 64, col. 940.
2. Ibid., col. 1193 sqq.
3. Ibid., col. 1239.
4. IV, 19, 27, 30.
5. Beaugendre, 1587 sqq., 11, 22, 28.
6. Migne, op. cit., col. 1177 sqq.
7. Ibid., col. 1211 sqq.
8. Ibid., col. 1235 sqq.
9. Ibid., col. 1287 sqq.
10. Ibid., col. 1307 sqq.

Floribus...

(ex his floribus articulos et alia intelligi vult), *Mathematicus* [1], *Floridus Aspectus* [2], omniaque epitaphia quae injuria Florido Aspectui subjecta sunt. Hujusmodi figurae multis ac variis rationibus conficiuntur; et commiscendis verbis prope innumerae fiunt: quaedam exempla proferre licebit:

I II III
Sub Noe, sub David, sub Christo sacra fuere
Nox, aurora, dies, umbra, figura, Deus [3].
I II III I II III

Surgit, floret, olet, ibi cedrus, palma, cypressus
Stat cedrus, floret palma, cypressus olet... [4]
Os, lumen, dentes, imitatur, reddit, adaequat,
Pura, nitens, niveum, lilia, sidus, ebur... [5]
Sors diversa trium est: ruit haec, jacet haec, stat et illa
Plena malis, sordens pulvere, fulta bonis... [6]

Talia in tripertitis versibus ornamenta Hildebertus supposuit in locum verborum pariter consonantium: quorum multitudinem cur a versibus is amputavisset, ipse nos bis docuit in *Florido Aspectu:* primum ejusdem voluminis ad Willelmum Winchestrensem [7] missi in proemio ubi hunc alloquitur ita:

1. Ibid., col. 1365 sqq.
2. Ibid., col. 1381 sqq.
3. Ibid., col. 1155 *(de Sa Eucharistia)*.
4. Ibid., col. 1235 *(de Ornatu Mundi)*.
5. Ibid., col. 1384, e *Florido Aspectu* carm. III *(de Venditione Joseph)*.
6. Ibid., col. 1388, e *Florido Aspectu* carm. VI *(de tribus hominum mansionibus)*.
7. Quem Willelmum ab Hildeberto id postulasse videmus ex epistolis Hild. (III, 30).

« ...*Factum est ut postulasti, et licet libellum istum* nulla rhythmorum [1] *commendet* jucunditas, *pluribus tamen in locis (salva auctoris humilitate) sententiarum pondera et verborum insignia poteris invenire; tentavi enim tam verborum splendorem quam veritatem qualicumque stylo perstringere, illud proverbium attendens:* placere speciosa, *prodesse pretiosa...* [2] »;

iterum in octavo carmine *de quattuor evangelistis*, in quo poeta Musam tali prece invocat:

> *Tange, Camoenă, stylum,* phaleratos exue cultus;
> *Rerum majestas induat istud opus.*
> *Non opus hic* phalerae, *sed dives sensus inauret,*
> *Plus pretiosa valent, et* speciosa *minus...* [3].

Quibus in locis, et rhythmorum jucunditas, et phalerati cultus et phalerae eos versus qui postea leonini appellati sunt, significant; eosque tunc abnuebat quasi essent splendidiores quam utiliores, et istae nugae ad sanctam religionis dignitatem parum aptae viderentur et verborum denique species necessarie sententiarum officeret opportunitati. E quibus intelligi potest Hildebertum adolescentem, cum in schola Cenomanensi floreret, multum ornamentis de quibus agitur, studuisse; postremo fastidio affectum atque abalienatum puerilia ista deseruisse; quod eum fecisse videmus et in novissimis poematis, et in epitaphiis. Etsi enim Hildeberti opera nequaquam servatis temporibus adhuc edita sunt, tamen certis indiciis compertum nobis est senescentem hos flosculos aspernatum esse, e ti-

1. Quod vocabulum (rhythmi) gallice hic valet *rimes*.
2. E prologo *Floridi Aspectus*, op. cit., col. 1381.
3. Ibid., col. 1389; e *Flor. Aspect.*, carm. VIII.

tulisque removisse. Namque leoninis carent quae ille scripsit epitaphia Brunonis [1] (qui obiit anno 1101) et Willelmi de Ros [2] († 1109) et magistri Anselmi [3] († 1117) et Roberti de Arbrissel [4] († 1117) et comitis Flandriae [5] († 1119) ut alia [6] omittam quorum tempora non satis constant.

Nunc autem ad Marbodum, ejus aequalem, transeamus : de quo eadem fere quae supra, erunt dicenda ; utpote qui ab adulescentia Hildebertum aemulatus, pleraque versibus leoninis scripserit, veluti ea que inscribuntur *Historia Theophili Metrica* [7], *Versus de S° Laurentio* [8], *Passio Sⁱ Victoris* [9], *Passio Sⁱ Mauritii* [10], *Vita S^{ae} Thaisidis* [11], *Vita Beati Maurilii* [12], *Liber Ruth* [13]. In quibus inter se eae syllabae consonant quae sunt ad caesuram et ad exitum versuum, hoc pacto :

Curia, curarum genitrix, nutrixque malarum,
Injustis justos, inhonestis aequat honestos... [14].

Hujusmodi sunt longe plurimi ; in paucis vero carmini-

1. In Florido Aspectu, carm. 45.
2. Ibid., 42.
3. Ibid., 30. Erravit Bourassé (op. cit., col. 1393) hunc docens esse canonicum defunctum anno 1114. Ille enim est inclytus magister Laudunensis de quo Hist. litt., X, 179.
4. Ibid., 27.
5. Ibid., 31.
6. Ibid., passim, 28-41.
7. Migne, op. cit., col. 1593.
8. Ibid., col. 1607.
9. Ibid., col. 1615.
10. Ibid., col. 1626.
11. Ibid., col. 1629.
12. Ibid., col. 1635.
13. Ibid., col. 1678.
14. *De Ornamentis verborum* XV (Adnominatio). In priore versu exornationi leoninae conjungitur adnominatio et chiasmos.

bus [1], extrema versuum verba tantum sibi respondent et consona fiunt: quae in altero Anselmi Laudunensis epitaphio [2] invenimus, quod a Marbodo conditum est:

Princeps doctorum, flos cleri, gloria vatum,
Transiit Anselmus per inevitabile fatum.
Hujus honestatis decus et castissima vita
Indicium fuerat quantus fverat [3] *Israelita.*
Lex, Evangelium, psalmus, seu nube voluta,
Anselmo mediante, Deus dedit esse soluta...

Ergo ne in titulis quidem his exornationibus abstinebat; in aliis autem poematibus utrumque schema ad hunc modum miscebat [4].

Scribere delectat *rem quae pia pectora* flectat,
Et recitare bonis *juvat acta senis* Simeonis.
Natus erat sub lege Deus de corpore matris,
Verus homo, non sicut homo, sine semine patris...

Sed longum est plura commemorare: per tot versuum milia illa ornamenta indefessus continuavit. Tandem, annis vergentibus, cum jam se admodum senem fateretur (septem et sexaginta annos [5] natus erat), in eo quod inscribitur *Liber decem Capitulorum* [6] carmine ad Hildebertum misso, sibi proposuit

non ludicra quaedam
Scribere, nec verbis aures mulcere canoris...

1. Velut in eo quod est de *Ornamentis verborum.*
2. E carm. var., col. 1722.
3. Ita scripsimus metri miseri causa: fverat (erat?).
4. Carmina varia, col. 1663, XXVI, 1-4.
5. Cf. Lib., Cap. II, 1.
6. Hic scriptus est non multo post annum 1110; Marbodus decessit ann. 1123.

et causas attulit explicuitque in Capitulo primo cur *dulcisonos numeros concinnaque verba* rejiceret: non quod inornate dicere vellet aut illam contemneret miram facultatem, tam multis negatam, sed quia sane melius suaderet maturior aetas, laborem enim supervacuum esse vitandum, versus illos continenter adhibere absurdum esse: at pervarie res narrandas et diversos colores adhibendos scriptis, propterea quod delectare

Res variae, raraeque solent; fit copia vilis [1].

Ideo tum eorum quae juvenis scripserat illum poenitebat [2] et classicos qui dicuntur poetas secutus in eo quod supra diximus carmine, similiter desinentia non jam affectavit, neque in illo, omnium notissimo, quod est de Lapidibus seu de Gemmis *(Lapidarium* autem vulgo appellatum, instar vocabulorum *Bestiarium, Volucrarium)*, neque in aliis nonnullis.

1. Lib. Cap. I (col. 1694 sqq.).
2. Ibid., I, 1 sqq.

III

TERTIA PARS

Quemadmodum illae geminae exornationes ac plane similes, quibus nomina sunt homoeoteleuton et homoeoptoton, exeunte saeculo XI° et ineunte XII°, Hildebertum et Marbodum, gallicos latine scribentes poetas, juvarent, paginis superioribus satis abundanter, nostro quidem judicio, demonstravimus. Tantis igitur viris auctoribus, omnes posthac certatim eas frequentaverunt: e tot versificatoribus quorum maxima pars in oblivionem penitus adducti sunt, proferre nominatim satis est bonum Sugerium qui, Ludovico VI° Grosso, dein Ludovico VII° regnante, disticha [1] consonis verbis ornata composuit quae phylacteriis inclusa in vitreis basilicarum [2] fenestris depingerentur, et Ordericum Vitalem, Sancti Ebrulfi abbatiae monachum, *Historiae Ecclesiasticae* scriptorem: is et vetera epitaphia nobis prodidit et nova condidit. Cum autem hujus aetatis mortui non suppeterent ejus scribendi libidini, nonnulla alia de antiquis sua manu confecit, quae in ipsius operibus et in eo *Galliae Christianae* libro [3] qui est de Rothomagensi Ecclesia, legere possumus. Qui plerumque tituli similiter cadentibus illustrantur: iis autem ornamentis prope

1. De Guilhermy. Inscript. christ. diœce. Paris., II, p. 119 sqq.
2. In primis S[t] Dionysii.
3. Gall. Christ., XI, col. 28 et passim.

caret scriptum ab eodem epitaphium Rogeri († 1126) quod sic incipit [1]:

Mitem sincerumque patrem, rex Christe, Rogerum
Salva: nam pro te toleravit multa benigne:
Rura, domos et velle [2] suum dimisit egenus,
Teque sequi studuit per iter virtutis anhelus...

Sed quod magnopere ad nostram rem refert, de illo Vitalis se excusans nos admonet in his hexametris plus veritati quam *concinnae sonoritati* [3] se intendere maluisse. Talia anno circiter 1140 [4] is scribebat: namque ab ipso, sicut ab Hildeberto atque Marbodo verbum « leoninus » ignorabatur. Non magis autem quam decem annis post, Bernardus Morlanensis, Cluniacensis monachus in prooemio sui *de Contemptu Mundi* carminis [5] primum illud usurpasse videtur [6], ibi docet *leoninam sonoritatem* ob difficultatem jam obsolevisse; quod vocabulum, si ad Gallicam linguam veniemus, non multo post occurrit: invenitur enim apud Chrétien de Troyes (ad ann. 1180?) qui initio poematis *Guillaume d'Angleterre* talia scribit:

Crestiiens se veut entremetre
Sans nient oster et sans nient metre
De conter un conte par rime
U consonant u lionime... [7]

1. Hist. eccl., XII, 32.
2. Id valet *voluntatem*. Cf. gall. *son vouloir* (item *plaisir*).
3. Loc. cit.
4. Etenim liber XI scriptus est ab anno 1135.
5. Id scriptum est ad annum 1150.
6. Cf. de his : Fauchet; Recueil de langue et poésie française..., VIII, p. 72 sqq. et Hist. Litt., IX, 172 et XII, 236 sqq.
7. Op. cit., 1-4, ed. M. Wilmotte ap. Champion (1927). Versus quartus nonnunquam de integro apud posteros poetas reperitur.

et apud nonnullos postea quorum nomina alibi [1] habentur. Verbum igitur *leoninus* ab anno circiter 1145° usitatum fuisse verisimile est.

Nunc de ejusdem origine est requirendum. Illud quidem a malo poeta Leonio, canonico Nostrae Dominae Parisiensis, manare non potest, utpote qui Epistulas et suam Veteris Testamenti historiam (quae 14800 versibus constat !) nullis floribus illuminarit, et exornationem, quae ante ipsum leonina jam dicebatur, plane omiserit ; is ceterum scripsisse videtur ab anno 1150° ad 1170^{m} [2], saepe autem, nullo discrimine, a multis injuria commixtus cum Leonio [3] altero, canonico Sanvictorino, aequali suo (†1187). Ergo necessarium est a leône, ferarum rege, id originem duxisse : quod fere convenit inter eos, supra citatos, qui penitus verbum, de quo agitur, excutere et explicare etymologia conati sunt, et intelligi etiam potest ex iis qui illud *léonin* usitantes cum vocabulo *serpentin* comparaverunt, velut Willelmus Machaut [4] qui gallice saeculo XIV° gemina scripsit talia [5] :

L'un est de rime serpentine,
L'autre équivoque ou leonine...

ubi « leonine » tertiam rem significat, duas syllabas aut plures in finibus versuum consonas [6] ; quas « rymes équivoquées » quoque vocabant, eisque rhythmis vehementer delectabantur ii quos « Grands Rhétoriqueurs » appellamus.

1. Cf. Du Cange, Godefroy, Littré.
2. Eo ipso anno defunctus est vita.
3. De his vide, Hist. litt. de la France, XIII, 434-447.
4. Idem composuit « Livre du Lyon ».
5. Loc. cit. a Littré.
6. Cf. Fauchet, op. cit., p. 72 sqq., et Lancelot, De nova Methodo, p. 876-877 (ed. 1653).

Quidquid id est, anquirendum cur illi, qui concinni admodum et suavissimi videbantur, versus *leonini* sint nominati, non autem *aquilini*, cum esset aquila, multis testibus, volucrum princeps, sicut bestiarum leo, neque vero, dilucidius et apertius, *regales* aut *imperatorii ;* quod fecisse videmus Gallicos saeculi XV[i] et XVI[i] poetas qui *chanz royaus* et *rymes emperières* quaedam nuncuparent. Haec enim nomina, nonne clariora ? *Leoninus* enim vocabulum, a *leo* declinatum planius *bestialis*, *ferinus* sibi velle possit atque in hanc alteram sententiam acceptum est non solum ab antiquis, in quibus Varro, Vitruvius, Plinius, verum etiam ab ipsis Medii Aevi scriptoribus, velut a Richardo de S[to] Victore, qui *de vitio insolentiae* praedicans edixit haec [1]:

Vides in leone quam stulta audacia et quam audax stultitia. Nonne leoninae *videtur audaciae... Vide ergo quam irrationabile et bestiale et vere* leoninum...

De leone vero, sicut de ceteris animalibus, permulta dicerant hujus aetatis homines, non magis ut ampliorem Naturae rerum notitiam haberent, quam ut mysticam, quam dicunt, omnium exponerent interpretationem. Tradidit enim Petrus de Riga [2] poetas ab initio saeculi XII[i] « audacter in allegoriae campum exspatiatos esse ». Jamdudum autem Christiani scriptores coeperant per allegoriam edocere et explanare *genus omne animantum* in operibus quae *Physiologi* inscribebantur, omnia per similitudines ad suam traducentes religionem. Quod primus fecisse

1. Anno circ. 1160° scriptum id opus *de Eruditione interioris hominis*, p. 108, col. 1 (quod edd., Rothom. canonici Sanvict., ann. 1650, apud Berthelin).

2. Et Aegidius Parisiensis cit. a dom Pitra in Spicilegio Solesmensi, III, XXXIII (1855). Ejusdem Petri *Aurorae* manuscr. princeps ut vult Delandine, in Bibl. Lugud. existit (ms. 155).

fertur Meliton [1] in *Clavibus :* cui tribuuntur nonnulla spuria aut subditicia ; de eodem multa commenticia et ficta sunt allata. Primis certe christianae religionis saeculis, nonnulli, auctore J.-B. Pitra qui hanc rem penitus pertractavit, Physiologi graece scripti sunt, mox in latinam linguam translati : hi libri Naturae rationem explicabant, multaque documenta e Vetere Testamento et libris sacris atque profanis scriptoribus sumpta retinebant : quos inter, exempli gratia, Democritum, Antigonum Carystium, Aelianum, Diodorum, Appianum, Plutarchum, Gallianum, Plinium Majorem, Apuleium, Martianum Capellam, aliis pluribus omissis, nominabimus : aliena arripientes, eadem rursus proponebant, nova ratione et mystica. Et hi omnes Physiologi pristini [2], Graecus, Aethiopicus, Armenius, Arabicus, Latinus [3], a Leone, quod est maxime animadvertendum, exordiebantur (a Jove principium !), ceterarum bestiarum ordine plerumque mutato. Hoc modo, ii qui postea Physiologos scripserunt, sicut Isidorus Hispalensis, ut ceteros [4] praetermittam, in duodecimo [5] *Originum* sive *Etymologiarum* libro, saeculo VII°, quo de fonte posteri sententias elegerunt aut totos hauserunt locos, et Petrus Damiani in *Tropologia Variorum animantium* [6] primum de Leone, deinde de ceteris animalibus disputaverunt, rem eandem iisdem fere verbis referentes.

Omnes vero physiologi, de quibus sumus locuti, quan-

1. Dom. Pitra, op. cit., III.
2. Cf. ibid., LII.
3. Syriacus tantum leonem non habens ab hyaena incipiebat.
4. Hildefonsum et Ansileubum, utrumque fere ignobilem.
5. Caput XI^m est de Homine, XIII^m de Mundo, XII^m de Animalibus (de pecoribus, de bestiis, de minutis animalibus).
6. E *bono religiosi statu* III.

quam ad usum discipulorum plerumque scripti, parum accommodati videbantur ad instituendos pueros: plura enim describebant animalia quam ut facile memoria tenerentur, praesertim cum omnem quoque rerum naturam fusius complecterentur. Quare paulatim multimodis amputati circumcisique sunt; eque tanta doctrinarum coacervatione, si quid inerat scholasticis aut jucundius aut habilius, excerptum est: mox in primis ea discebantur quae erant de bestiis, volucribus, lapidibus: unde Physiologo suffecta nomina: *Bestiarium, Volucrarium, Lapidarium,* quae sunt partes generi subjectae. Deinde gradatim de animalium numero demebatur ita ut Petri Damiani *Tropologia* [1] triginta tantum pro sexaginta haberet capita; sed brevior etiam et omnium maxime scholaris exstitit Hildeberti *Physiologus* [2], anno circiter 1090°, nostro quidem judicio, scriptus, non autem soluta, ut priores, oratione, sed tunc primum versibus, iique sunt trecenti quinquaginta novem numero.

Quo in poemate Hildebertus, mystica ratione, ut ei mos est, duodecim tantum animalia totidem pangit carminibus: horum Leo primum locum obtinet, sequuntur Aquila, Coluber, Formica, Vulpes, Cervus, Araneus, Cetus, Sirenes et Homocentaurus, Elephas, Turtur, Panther; idque metris compositum est non solum variis, velut hexametris [3], distichis [4], sapphico numero [5], sed novis etiam, ut in septimo ubi tetrametri dactylici insunt catalecti bini inter se

1. Op. cit.
2. Migne, 171, col. 1217 sqq. Beaugendre, col. 1173-1178 (supra cit.).
3. 1, 9; 12.
4. 2, 4, 5, 6, 8, 10.
5. 3.

juncti, et in undecimo in quo versus binis constant adoniis, tali modo:

Turtur inane nescit amare... [1].

Sed quod est notatione dignissimum, omnes fere versus, quamvis sint dissimiles, similiter desinentibus exornati sunt, novo quodam more quem tunc Hildebertus in nostratem poeticam plenius inducebat ad hunc modum:

Tres Leo naturas et tres habet inde figuras
Quas ego, Christe, tibi bis seno carmine scripsi.
Altera divini memorant animalia libri
De quibus apposui quae rursus mystica novi [2]...

Illo ipso e primo versu, et reliquis certe qui de Leone agunt, leoninos eos vocare, ut equidem opinor, soliti sunt; quod nos conjecisse non temere demonstrare conabimur. Omnium enim consensu, Hildebertus et viam fere aperuerat mysticae rationis docendae, praecipue in Physiologi expositione, aut sane primum, eo docente, illa floruit maxime usurpata disciplina quae

et terrena sonat, simul et caelestia monstrat... [3]

et primus versibus Physiologum expressit qui illo ipso vivente et deinceps, per omne saeculum XII^m Mediumque Aevum a discipulis ediscebatur, a litteratissimis viris vehementer laudabatur, a scriptoribus postea Bestiariorum citabatur; nonnulli autem ut a ceteris Hildeberti carminibus, ita sunt etiam furati ab ejus Physiologo.

1. II, I. Ultima qua prius hemistichium explicitum est, syllaba indifferens est (inane), non autem in ceteris Hildebertinis ita fit; quasi sit vere adonius versus membrum « *Turtur inane* ».

2. Physiol., I, I-4.

3. Physiol., 4. 15.

Haec nunc omnia, quod reliquum est, vicissim brevique aperire et explicare debemus. De symbolica, quae dicitur, doctrina, omnibus explorata, pauca loquemur: etenim cum Hildebertus Leonem tres naturas habere dicit, Trinitatis id vult esse signum; quod si Leo mortuus nascitur [1] et tertio die patris rugitu suscitatur (id vulgo credebant) aut si panther satiatus dormit in antro et post triduum resurgit[2], hae sunt figurae Resurrectionis; item Aquila [3] in caelum, solem Deumque se volatu sublimem efferens, Ascensionem significat. Ergo in poematibus suis perpetuam rerum interpretationem fidei catholicae accommodatam exposuit Hildebertus ibidemque saepissime inveniuntur verba *repraesentare, figurare, signare, ostendere, significare* et alia ejusmodi. Qua de causa, quod ad pietatem utilitatemque fidelium aliquid is afferret, et propter versuum elegantiam et novitatem ejus concinnitatis quam leoninam non adeo post erant dicturi, inter aequales atque aemulos (quod raro fit) poeta ille incredibili floruit auctoritate et gratia.

Namque, ut omittam episcopos quosdam ab humili magistro vel archidiacono versus postulantes, et laudes quibus eum Anselmus Cantuariensis [4], Sanctus Bernardus nonnullique alii extollebant, e tam multis testimoniis aliquot licebit proferre: Marbodus, qui secundus habetur ab illo poeta primum locum Hildeberto decernit in Epistola quadam ad ipsum quae incipit ita:

1. Ibid., 1. 13.
2. Ibid., 12. 3 sqq.
3. Ibid., 2, quare in christianis imaginibus et signis, a Leone Resurrectio, ab Aquila Ascensio indicatur.
4. Hildeb. litterae, 161, 162, 163.

Dum tua scripta legens oculos ad nostra reduco,
E caelo terras videor spectare jacentes [1]...

quibus in litteris laudat mysticam Hildeberti poesim variaque in ea ornamenta. Non aliter sentit Ordericus Vitalis qui nunc Hildebertum vocat egregium versificatorem [2], nunc de eodem longius loquitur, his verbis:

Temporibus nostris incomparabilis versificator floruit et multa carmina priscis poematibus aequalia vel eminentia condidit... Eleganter et sapienter loquitur [3].

Cujus eximii poetae tanta erat fama ut etiam tum viventis opera in scholis non solum Gallicis, verum externis etiam ediscenda proponerentur; ceterum, quaedam ad usum scholasticorum e proposito condita esse legentibus utique patet, ut est ejusdem Physiologus [4]; nec desunt ejus rei testimonia. Ordericus enim fatetur a Romanis cardinalibus plurima hujus carmina Romam transferri, quae *dicacium scholis et didascalis Quiritium admiranda* censeantur [5]. Et Petrus Blesensis narrat sibi valde profuisse quod Epistolas Hildeberti, styli elegantia et suavi urbanitate praecipuas, formare et corde tenus reddere adulescentulus compelleretur [6].

Non ergo mirari debemus cur in ejus temporis bibliothecis Hildeberti carmina et epistolae tam crebro reperian-

1. Beaugendre, col. 1560.
2. Quod nomen *versificator* in pejorem partem trahi non debet hoc loco. Hist. eccl., IV, 11.
3. Ibid., X, 8.
4. Sicut Marbodi *De Ornamentis et Lapidarium.*
5. Loc. cit.
6. Gall. Christ., XIV, col. 78-82. Anno circiter 1155 scholasticus erat.

tur: cujus opera [1] legere possumus in catalogis abbatiae quae S[i] Ebrulfi nominatur et aliarum, cum Bedae, Alcuini, Hrabani Mauri, Marbodi, S[i] Bernardi, ut veteres omittamus. At poeta ille eximius non tantum a discipulis percipi et explanari in scholis, verum etiam a posteris physiologorum scriptoribus citari nominatim aut furtim compilari solebat. Quod Hugonem de Sancto Victore, Honorium Augustodunensem, et, ut nostratium praecipuos depromam, Vincentium Bellovacensem, Herradamque, sapientissimam Altisburgensis [2] cœnobii abbatissam, fecisse constat perlegentibus *Bestiarium Sanvictorinum* [3], *Speculum Ecclesiae et Imaginem Mundi* [4], *Speculum Naturale* [5], *Hortum Deliciarum* [6], anonymos [7] autem praeteribo quosdam, et externos Anglos, velut Alexandrum Neckam aut Germanos velut Albertum Saxonem, et eos qui de Animalibus gallice scripserunt velut Philippum de Thaun, Richardum Furnivallensem, Brunettoque Latino et quosdam non nimis cognitos. De his *Cahier*, diligentissimus earum naturalium quaestionum inquisitor, abundanter disseruit septem afferens Bestiaria quae omnia a Leone incipiunt. Imo, Brunetto Latino [8], cum animalia cuncta per alphabetum disposuisset, exorsus tamen est a Leone.

1. Cf. Ord. Vit., ed. Le Prévost et L. B., III, 2, V, 13; V, 18; V, 24-29, p. 24. *Animalium plurium allegoricae explicationes* fortasse Physiologum Hild. aut opus simile significant.

2. Id est de Sainte Odile vel Hohenburg.

3. Hugonis de S° Vict., *de naturis animalium*, II, 1 (de Leone).

4. Honorii Aug. *Spec. Eccl.*, XII, *Imag. Mundi*, I, 13; incertum est an *Imago Mundi* ejus Honorii sit.

5. Vinc. Bell. *Speculum Naturale*, XIX, 66-75.

6. Herrad. *Hort. Delic.*, II, 5684-5781. Quod carmen non scriptus est ab Hermanno Werdinensi, quanquam illud asseveravit D. Pitra et quidam alii.

7. Velut eos qui *Miracula Mundi* et *Distinctiones Monasticas* scripserunt.

8. Non est, ut vulgo fit, is dicendus *Brunetto Latini*.

Illi omnes, quos ante diximus, scriptores plus minusve ab Hildebertino Physiologo mutuati sunt; sed a tam multis, uno solum, ne longum fiat, utar exemplo. Cum enim Hildebertus Leonem talibus cecinisset:

Natus non vigilat dum sol se tertio gyrat,
Sed dans rugitum pater ejus suscitat illum [1],

rursus Herrada elegis eadem retulit his:

Et sic tertia lux de somno suscitat illum;
Qui stirps hinc vere dicitur esse leo.
Quos parit exstinctos, natura teste, leaena,
Hos leo rugitu suscitat ipse suo... [2]

Quae sane de Physiologo Hildeberti deprompta esse manifestum est. Verum, quod est mirabilius, doctissima illa abbatissa totum ejusdem hexametrum habet, eumque primum de Leone:

Tres Leo naturas et tres habet inde figuras

atque ingenue se rapuisse confitetur, neque negat, nedum nos furtum celet, lectoremque ad eum unde versus fluxit, fontem rejicit addens illud:

Consulat auctorem noscere qui cupit has [3]

quo pentametro Hildebertum aperte significat.

Hujus igitur propter egregiam versificandi gloriam, ii omnes [4] qui consecuti sunt, et de ejus laudatione consenserunt semper et eundem persaepe imitati sunt. Jure au-

1. Physiol., I, 12-13.
2. Hort. Delic., II, 5697-6000 (ea scripta sunt circa an. 1185^{m}).
3. Ibid., II, 5692.
4. Willelmus Malmesburiensis de Hild.: *totas*, inquit, *Hildebertus hausit Athenas*, Lib. I, De Gestis pont. angl.

tem fecerunt, quoniam is, optimo teste D. J. Mabillonio [1], *eruditione et scriptis insignis* in primis evaserat. Non autem e poematibus tantum sed etiam ex ejusdem epitaphiis magna versuum copia surrepta in aliorum titulos admissa est. Hildebertus enim postquam de mortuo Anselmo Laudunensi dixerat:

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister [2]

de Hugone de S° Victore alter, addita leonina exornatione, iterum:

Dormit in hoc tumulo doctor, celeberrimus Hugo [3].

Item ex illustri Willelmi de Ros epitaphio, de quo jam ante diximus et quo versificator noster ceteris, tanquam certamine, praestiterat, poeta quidam ultimum versum furatus in Gisleberti titulum, iisdem mutatis, servata contentione (vel contrario), traduxit hoc pacto:

...Spiramen caelo reddit et ossa solo [4],

quod apud Hildebertum fuerat, aptius elegantiusque:

Redditus est patriae spiritus, ossa solo [5].

Sed nunc pluribus non jam opus est: patet enim, nostra quidem sententia, et leonem primum ubique locum obtinuisse in Bestiariis, et illo tempore Hildebertum principem poetarum exstitisse prioremque in continuis carminibus consonos rhythmos usurpavisse eos qui paulo post leonini dicti sunt; cum autem is Physiologum [6] scripserit

1. Ann. Ben., V, 377. Cf. ibid., VI, 76, 58.
2. Migne, Patr., 171, col. 1394 (e Florido Asp., XXX). Cf. Hist. litt., X, 179.
3. Gall. Christ., VII, 661. Cf. quoque Hist. litt. et Ann. Bén.
4. Hist. litt., XIII.
5. Cf., p. 46.
6. *Qui primus est (post rhythmicos) metricus physiologus* ait Pitra, op. cit., III, LXXI.

a leone incipientem, in scholis usitatissimum, omnibus notissimum, hujusmodi versibus ornatissimum, verisimillimum est vocabulum illud *leoninum* ex hoc Leone manavisse, praesertim cum ceterae conjecturae aut imprudenter factae, aut certe minime probabiles videantur.

Hoc restat unum ut nonnulli Physiologum Hildeberti subditivum crediderint et Thibaldi (seu Theobaldi) cujusdam fecerint, quia ultimi duo versus carminis duodecimi, quod est de Panthere, fuerint tales:

Carmine finito, sit laus et gloria Christo
Cui, si non alii, placeant haec metra, Thibaldi [1];

qui, apice sublato, scripserunt: *haec metra Theobaldi*, nomen *Theobaldi* non vocativum, ut monstrabimus, sed genitivum casum praebere arbitrantes, quasi hujus totum carmen esset. Incredibile autem est quantum, ut ceteros praetermittam, D. Pitra [2], vir eruditissimus, ita opinatus erraverit et is qui in *Histoire littéraire* [3] librum scripsit undecimum. Quippe deteriores aliquot et recentiores codices, cum multis et variis lectionibus [4], in hunc Theobaldum carmen contulerunt, ab ultimo versu male nomen elicientes. Sed enim ii qui optimum manuscriptum Regium (olim Elnonensem sive S[t] Amandi) [5] secuti, totum ediderunt, in primis Beaugendre et Bourassé, non dubitaverunt quin id esset Hildeberti certissimum opus, quia sane rem melius cognoverant. Namque in Physiologo, ceteris Hildeberti carminibus incluso, ubique mysticam doc-

1. Versus posterior ambiguus est et in duas sententias trahi potest.
2. Op. cit.
3. XI, 373-374.
4. Invenitur: Theobaldus, Cibaldus, Tetbaldus, Theoladus.
5. Reg. 274 (saec. XIII[i]) et Andegav. ms.. Hildeberto tribuit.

trinam reperimus eam qua Hildebertus uti atque excellere solebat, cujusque quaedam exempla jam attulimus. Praeterea qui posset Thibaldus iste, ignobilis poeta, tam praestantes versus scripsisse ? At in *Histoire littéraire* [1] legimus mediocres aut pessimos Physiologi versus esse, neque dignos qui Cenomanensi episcopo tribuantur : quae obtrectatio rem et verba et metrum scrutantibus plane vana atque irrita videbitur. Namque is talis est qualia cetera Hildeberti opera ; nam quid denique impedit quin, ut unum proferam exemplum, Bestiarium illud eidem vindicemus qui initio poematis quod est *de Mysterio Missae* condidit talia :

> Scribere proposui *quid* mystica *sacra priorum*
> *Missa* repraesentet [2]...

et multa alia hujusmodi ?

Adde quod, si Thibaldo opus de quo agitur tribueremus, eidem etiam esset tribuendum totum carmen triplex : a *Physiologo* enim separari non potest antecedens carmen quod *de Operibus sex dierum* inscribitur neque subsequens *de Origine Mundi*. Horum trium postremum in omnibus codicibus initio titulum habet *Cujus supra ;* illud igitur tertium ab eodem scriptum est a quo *Physiologus* secundus et illud primum de ordine sex dierum, quod tertio poemate, eodem argumento exposito, conficitur. Ea tria quis nunc dicere audeat esse Thibaldi, cum sint alterius operibus conclusa, cum Hildebertinum plane oleant, imo cum cunjuncta hujus sermonum verba effingant reddantque ? Solebat enim doctor ille Ecclesiae, pro tempore, nunc

1. Loc. cit.
2. Op. cit., 1-2. Migne, c. 1177 (Cf. Physiol. 1-5).

contexta versibus oratione, nunc soluta in sermonibus [1] res ad religionem pertinentes pertractare, velut quattuor virtutes [2] aut opera sex dierum [3] ne plura proferam. Ergo dubium non est quin Hildeberti sit cum totum carmen, tum *Physiologus*, casuque vocativo, non possessivo nomen *Thibaldi* adhibeatur, ad quem poema mittatur indicans, non autem a quo sit conditum.

Is autem Thibaldus quis esset, illi egregii existimatores veri et falsi declarare omiserunt. Hic non facile indagari posset (nam permulti sunt Thibaldi [4] saeculo XI° exeunte et ineunte saeculo XII°), ni indicia dedisset et ipse nos de ea re Hildebertus certiores fecisset: illius enim epitaphium [5] hic condidisse videtur ex quo intelligi potest eum fuisse Hildeberti discipulum, alumnum Pieridum, sermonum pictorem [6] in Dervensis [7] monasterii scriptorio (quid impedit quominus magistri sui opera transcripserit pinxeritque ?), ibidem docuisse dieque S[i] Andreae [8] incerti anni immatura morte esse raptum.

1. Adhuc restant Sermones Hildeberti: quos, ut opinor, scripsit cum esset episcopus atque archiepiscopus; carmina autem archidiaconus composuit; sermonibus enim saepe verba poetica versusque interponuntur.

2. In *Morali philosophia* et in *Libello de IV virtutibus vitae honestae*, col. 1055 et 1064 sqq.

3. In *Tractatu theologico* XXIII, col. 1116 sqq.; rursus in *De Ordine sex dierum* col. 1213 sqq.

4. Quorum celeberrimi sunt Theobaldus, abbas Beccensis, dein Cantuarensis archiep., Thibaldus de Oxonio, magister et doctor Cadumensis (?). Cf. Ann. Ben. VI, 73, 495; Spicil., III, 137; Theobaldus Blesensis comes; Theobaldus, episc. Silvanectensis; Theobaldus episc. Ambian.; Thibaldus, prior S[i] Martini a Campis, etc.

5. Epit., 36, Migne, op. cit., col. 1395; Beaugendre, col. 1322. Hoc incipit ita:

Pinge, Thalia, virum festivo laudis honore,
In cujus titulum collige quidquid habes...

6. *Pinxit, inauravit omne quod egit opus...* Ibid.

7. Montier-en-Der (Haute-Marne). Nequaquam agitur de pago Britannorum Dervensi (Derby).

8. IV° die a. Non. Dec. (anno circiter 1120°)?.

Verum enim leoninos versus vulgo creditum est per saeculum XII^m et XIII^m esse maxime usurpatos: quod magna ex parte falsum est. Namque, ut ante vidimus, teste Bernardo Cluniacensi [1], medio saeculo XII^o, leoninam sonoritatem jam desertam obsolevisse constat propter nimiam versificandi difficultatem; eos autem, qui hanc exornationem continuo, non maxima cura, sed quoquo modo super omnia appeterent, pristinae poeticae et grammaticae repagula certatim effregisse: ita, ea quae prius (non alterum modo) hexametri et pentametri hemistichium finiebat syllaba facta erat indifferens et multilocis caesurae ponebantur; neque erat producenda syllaba brevis quam duae excipiebant consonantes. Inde tot versus rudes ac male tornati, tot carmina fere incondita. Epitaphia autem et cetera poematia leonina maxime illis temporibus in honore quidem erant et pretio; verum in longis carminibus tales postea versus permodico usui fuerunt. Etenim optimi ejus aetatis poetae, Hildeberti et Marbodi senescentis praecepta et exempla secuti, similiter cadentia plerumque neglexerunt, velut Walterius Castellionensis qui Alexandreida condidit, vel Willelmus Brito qui Philippida, vel Alanus de Insulis qui permulta et omnium praestantissima carmina, inter quae Anticlaudianus maxime mirandus; hi autem scripserunt intra annos sexaginta circiter ab anno 1160^o ad 1220^m. Ergo confirmandum est leonina metra in Gallia ad annum millesimum centesimum et paulo ante vehementissime placuisse et floruisse.

Quanquam vero ejusmodi numeri, qui Medio Aevo in tantum favorem adducti erant, e latinis carminibus pau-

1. Loc. cit.

latim exciderunt ante illam Gallicarum litterarum renovationem quae *Renaissance* a nobis appellata est, tamen non omnino evanuerunt: namque in Gallicam poesim illa irrepsit exornatio atque in exitu versuum collocata est, ubi alteri illi *assonance* suffecta est [1] medio fere saeculo XII°. Rhythmi autem ii quos *assonances* vocamus, per multos continuos saepius versus, quibus nomen erat *laisse*, rhythmicae poesis more, leonini vero (qui valent gallice *vers rimés)* plerumque per binos tantum extremi locabantur; quod nostris temporibus apud nos adhuc viget.

***

Illum leoninum, quem memorant, versum veteres jam nonnunquam, poetas Medii Aevi magis ac magis, deinde continenter usurpavisse, id ipsum vocabulum a leone esse derivatum qui et in bestiariis primum locum obtineret, et Hildebertinum Physiologum, leonine tunc primum compositum, exordiretur, conjectura judicans summatim ostendi atque exposui. Sed hactenus de ejusmodi metro quid sentirem aut unde id esset oriundum, dicere potuisse mihi videor: de quo

si non fecerunt certum mea dicta legentem,
attamen obscuris temptavi reddere lucem.

Nunc, opere exacto, veterum cano more: valeto;
quique legis sapiens, sis mihi, quaeso, favens!

1. Inter *Chanson de Roland* et carmina *Chrétien de Troyes.*

Vu, le 13 août 1928
Le Doyen de la Faculté des Lettres
de l'Université de Paris :

H. DELACROIX.

Vu et permis d'imprimer,
Le Recteur de l'Académie de Paris :

S. CHARLÉTY.